



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam
Confessionem amplectuntur**

Lipsiæ, 1606

Articvli Christianæ Doctrinæ, Qvia Nostris Concilio, si quod vel Mantuæ vel
alibi congregandum fuisset, exhibendi fuerant indicantes. Quid recipere
vel concedere possemus, & quid non: Scripti à D. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-35443

ARTICVLI
CHRISTIANÆ DO
CTRINÆ, QUI A NOSTRO
Concilio, si quod vel Mantuæ vel alibi con
gregandum fuisset, exhibendi fuerant indi
cantes. Quid recipere vel concedere
possemus, & quid non:

Scripti à

D. MARTINO LUTHERO
ANNO 1537.

Præfatio D. Mart. Luth.



VM PAPA PAVLVS HVIV
nomini tertius Concilium indiceret a
no superiori, circa Pentecosten Mantu
congregandum, & paulo post ab
Mantua alio transferret, (Vnde nota
constat, quod illud convocare vel
vel possit) & nobis quoq; sperandum esset, ut ad Con
ium ipsi etiam vocaremur, vel metuendum, ne non vo
ti damnaremur: inungebatur mihi, ut Articulus doctri
na nostra conscriberem & colligerem, si forte res pro
deret, ut constaret, quid & quatenus Pontificijs ceder
& in quibus capitibus constanter perseverare & pos
mus & possemus.

Conscripsi igitur hosce Articulos, & nostra parti tra
di. A nostris illi recepti & unanimes confessione app
bati sunt, & decretum est, ut Concilio (si quod a Pa
& Pontificijs tandem sine mendacijs & fraudibus, &
ro, legitimo & Christiano modo institueretur, sicut om

no deberet) publicè offerrentur, & fides nostra confessionem explicarent.

Cum autem Romana ista aula seu Curia adeò formidet Christianum liberum q. Concilium, & litem turpissime fugiat, ita ut etiam ipsi Pontificiis spes Concilij Christiani non tantum conuocandi sed etiam ferendi & concedendi prorsus adempta sit, unde sane offenditur merito multi Pontificij, & agrè ferunt negligentiam istam Papa, ac inde facile colligunt, male Papam interitum totius Christianitatis, & damnationem omnium animarum, quam sui, & suorum vel exiguam saltem reformationem, & quam tyrannidi suae modum praescribi patitur: adeo & nihilominus articulos hos in publicum emittere volui, ut si citius ex hac vita euocarer, quam Concilium congregaretur, (quod ita euenturum esse, omnino confido & spero, cum lucifugi isti nebulones nimium in protrahendo & impediendo Concilio laborent) ut inquam ij, qui post me viuunt & remanebunt, testimonium & confessionem meam haberent & proponere possent a huiusmodi Confessione, quam antea publicauimus, in qua haecenus constanter permansi, & permanebo deinceps, per Dei gratiam.

Quid enim dicam? Quomodo querelam instituam? Adhuc superstes sum, scribo, conciones habeo, & praelego publice & quotidie: & tamen virulenti homines non tantum ex aduersarijs, sed etiam falsi fratres, qui nobiscum se sentire aiunt, mea scripta & doctrinam meam simpliciter contra me adferre & allegare audent, me viuente, vidente, & audiente, etiamsi sciant, me aliter docere, & volunt in us suum meo labore exornare, & miseros homines mea sub nomine decipere & seducere. Quid ergo, bone Deus, post obitum meum fiet?

Deberem quidem ad omnia respondere, dum adhuc uiuo. Sed quæso, quomodo omnia diaboli ora obstruere solus possim? praesertim eorum (utpote Venenatorum

omnium) qui nec audivere nec attendere volunt, qui scribamus, sed in eo toti sunt, ut verba nostra etiam in minutissimis literis scelerate pervertant. Et depraudent. His ergo diabolus respondeat, Et tandem ira Dei, quae admodum merentur. Sape recorder boni Gersoni, dubitantis, num quid boni publice scribendum. Et profectum sit, si scriptio omittitur, multa anima negliguntur, quae liberari potuissent. Si vero illa praestatur, statim diabolus praesto est cum linguis pestiferis et calumniariis plenis, quae omnia corrumpunt, et veneno insciunt, ut utilitas scriptorum impediatur. Quia tamen ex ista malitia sua commodi recipiant, manifestum est. Quia enim nos mendacis perditis oneravunt, et simpliciores per ista mendacia in suo caetu retinere voluerunt, Deus opus suum subinde promovit, et ipsorum caetum reddidit meliorem, nostrum vero maiorem, ac ipsos ob mendacia confudit, et confundit etiamnum.

Recitabo historiam. Fuit Viteberga Doctor quidam ex Gallijs missus, qui nobis palam indicabat, Regi suo certo certius persuasum esse, apud nos nullam esse Ecclesiam, nullum magistratum, nullum conjugium, sed permissive omnes pecudum more vivere pro arbitrio. Deum tamen, quo vultu nos coram tribunali Christi in solium iudicio sint aspecturi, qui iam crassa et prodigiosa mendacia Regi et alijs regnis per sua scripta inculcaverunt, ceu veritatem? Christus omnium nostrum Dominus et index scit ipse, istos mentiri et semper mentiri esse. Huius sententiam vicissim audire cogentur, qui certo scio, Deus convertat convertendos, et agant penitentiam: ceteros obruet, et ab in aeternum.

Ut autem redeam ad rem, Optavimus ex animo, Concilium Christianum et liberum aliquando congregari, multis et rebus et hominibus consuleretur, non, quod nos Concilio indigeamus. (Nostra enim Ecclesia per Dignitatem, puritatem Verbi et Verum usum Sacramentorum, etc.)

gnitione vocationum & verorum operum, ita sunt illustrata & constituta, ut Concilio opus nobis non sit, nec à Concilio de his rebus quidquam melius sperare & expectare possimus) sed quòd in Episcopatibus videamus passim multas parochias planè desertas & vacuas, ita ut pro dolore cor hominis p̄i extingui facile possit. Et tamen nec Episcopi, nec Canonici curant, quomodo miseri homines vel esuriant vel moriantur, pro quibus tamen Christus est mortuus, quem miseri homines ut verum pastorem cum ouibus suis loquentem audire non possunt. Et hoc me mouet, ut exhorrescens vehementer metuum, ne Christus ipse aliquando conuocet Concilium Anglicum contra Germaniam, quò funditus deleamur, sicut Sodomia & Gomoriba, quandoquidem tam temere ipsi illudimus nomine & prætèxtu Concilij.

Præter hæc tam necessaria negotia Ecclesiastica, essent quoque res magna in statu politico corrigenda, ut discordia Principum & statuum, Usura & auaritia crudelium inundantur, & specie iuris defenduntur. Petulantia, lasciuia superbia, & luxus ac fastus in Vestitu, crapula, alea, pompa, vitiorum & scelerum concursus, malitia, contumacia subditorum, familiaris, opificum, mercenariorum, rusticorum auaritia, & iniquissima in venditionibus aestimatio, (& quis recitare potest omnia?) adeò accreuerunt, ut decem Concilijs, & viginti Comitijs politico corrigi nequeant. Si hæc principalia in Ecclesiastico & politico statu, qua contra Deum fiunt, in Concilio tractarentur, satis superq; esset, de quibus ageretur, nec opus esset ludicris & iocularibus confabulationibus de veste talari, de insignibus verticalibus, rufis & tonsuris, de cingulis latis seu baltheis, de Episcoporum & Cardinalium insulis, galeris, pileis & baculis, & similibus vanitatibus: Si antea Dei mandatum & voluntatem in Ecclesiastico & politico ordine expedissemus, satis postea ocij & temporis nobis relinqueretur

ad reformationem ciborum, vestium, cercorum, rufarum, casularum, &c. At, quia camelos deglutimus, interea culices excolumus, trabes relinquimus, & stucas inquirimus & iudicamus, superledere contra possumus.

Paucos igitur Articulos conscripsi. Habemus enim iam antea satis mandatorum Dei in Ecclesia, in politica in oeconomia, quibus satisfacere nunquam possumus. Ad quid ergo prodest copia ista decretorum, traditionum & legum in Concilio, cum praecipua capita à Deo mandata nec curentur, nec seruentur? quasi vero Deus in ludicra fabula nostris acquiescere, & interea sua divina mandata pedibus ut conculcentur, ferre cogatur. Peccata autem nostra nos aggrauant, nec sinunt Deum nobis esse propitium, quia penitentiam non agimus, & iniqua per omnem abominationem defendere volumus.

O Domine Iesu Christe, inducito & celebra tuum Concilium, & libera tuos aduentu tuo glorioso. Actum est de Papa & Pontificijs. Hi te non curant. Iuua ergo nos miseros & inopes, qui ad te regimus, & te ex corde quarimus secundum gratiam, quam nobis dedisti, per Spiritum sanctum tuum, qui tecum & cum Patre uiuit & regnat, benedictus in secula, Amen.



PRIMA PARS

DE SUMMIS ARTICV- LIS DIVINÆ MAIESTATIS,

I.



PATER, Filius, & Spiritus sanctus,
in vna diuina essentia & natura,
tres distinctæ personæ, sunt vnus
Deus, qui creauit cœlum & ter-
ram.

II.

Pater à nullo, Filius à Patre genitus est,
Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit.

III.

Non Pater, non Spiritus sanctus, sed Fili-
us homo factus est.

IIII.

Filius ita factus est homo, vt à Spiritu san-
cto sine virili opera conciperetur, & ex Maria
pura, sancta semper virgine nasceretur. Post-
ea Passus & mortuus est, sepultus, descendit
ad inferna, resurrexit à mortuis, ascendit ad
cœlos, sedet ad dexteram Dei, venturus iudi-
care viuos & mortuos, &c. sicut de his Sym-
bolum Apostolicum, & Athanasianum, &
Catechismus noster puerilis, nos edocent.

DE his articulis nulla est inter nos & aduersarios
controuersia, cum illos vtrinq; confiteamur: quam ob-
rem non est necesse, vt pluribus jam de illis agamus.

SE-

SECUNDA
PARS EST DE ARTI
CVLIS, QUI OFFICIVM EI
OPUS IESV CHRISTI, siue redem-
tionem nostram con-
cernunt.

Hic primus & principalis arti-
culus est,



QUOD IESVS CHRISTVS Deus &
 Dominus noster, sit propter pec-
 cata nostra mortuus, & propter
 iustitiam nostram resurrexit
 Rom. 4.

Et quòd ipse solus sit Agnus Dei, qui tollit
 peccata mundi. Ioh. 1. Et quòd Deus omni-
 um nostrum iniquitates in ipsum posuerit
 Esaia: 53.

Omnes peccauerunt, & iustificantur gra-
 tis absque operibus seu meritis proprijs, &
 ipsius gratia, per redemptionem, quæ est in
 Christo Iesu, in sanguine eius, Rom. 3.

Hoc cum credere necesse sit, & nullo opere, lege,
 merito acquiri & apprehendi possit, certum est &
 manifestum, solam hanc fidem nos iustificare, sicut Paulus
 Rom. 3. inquit: Statuimus, iustificari hominem per
 fidem absq; operibus legis. Item, Vt sit ipse iustus &
 iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi.

De b

De hoc articulo cedere, aut aliquid contra illum largiri aut permittere nemo piorum potest, etiam si cœlum & terra, ac omnia corruant. Nō enim est aliud nomen hominibus datum, per quod saluari possimus (inquit Petrus Actorum 4.) Et per vulnera eius sanati sumus, Esa. 53. Et in hoc articulo sita sunt & consistunt omnia, quæ contra Papam, diabolum & vniuersum mundum in vita nostra docemus, testamur & agimus. Quare oportet nos de hac doctrina esse certos, & minime dubitare, alioquin actum est prorsus, & Papa & diabolus, & omnia aduersa ius & victoriam contra nos obtinent.

II. *Articulus de Missa docet,*

QUOD Missa in Papatu sit maxima & horrenda abominatio, simpliciter & hostiliter è diametro pugnans contra Articulum primum, quæ tamen præ omnibus alijs Pontificijs idolatrijs summa & speciosissima iuit. Statuerunt enim, quod sacrificium istud seu opus Missæ, etiam ab impio ac perditio nebulone præstitum, liberet hominem à peccatis cum in hac vita, tum in purgatorio, cum tamen solus agnus Dei nos liberet, vt supra dictum est. Hic nihil permittendum, nec cedendum est, quia prior articulus id non fert.

Cum sanioribus Pontificijs placidè hoc modo conferri posset. Primum, Quare tam rigidè Missæ patrocinium suscipiant, cum illa tantummodo sit hominum inuentum, à Deo non mandata sit? Hominum verò inuentiones tutò omittere possumus, vt Christus testatur Matth. 15. Frustra colunt me mandatis hominum.

Secundò, Res est non necessaria, quæ sine peccato & periculo omitti potest.

Tertiò, Sacramentum meliori à Deo magis accepto, imò hoc solo accepto, salutari & beato modo

secundum Christi institutionem sumi potest. Cur-
tur propter figmentum humanum & non necessarium
cum aliter & rectius res ipsa haberi possit, ad extraneas
miserias homines cogentur & adigerentur?

Curetur, ut publice hominibus ostendatur, Missa
ut rem commentitiam, seu humanum figmentum potest
se sine peccato omitti, & neminem damnari, qui de
sua salutem non curat, sed etiam sine Missa, meliore ratione
homines saluari posse. Sic fiet, ut Missa sit sponte co-
ruitura, non tantum in vulgo rudi, sed etiam in animis
omnium piorum, Christianorum, & sanorum: id est
multo magis, cum audierint, Missam esse quiddam vi-
de periculosum, sine Dei verbo & voluntate constitutum
atque inuentum.

Quarto. Cum ferè innumeri, & inenarrabiles ab-
usus in vniuerso mundo, ex negotiatione Missarum ex-
titerint, abroganda merito Missa est, ut abusus istius
moueantur, etiam si quid utilitatis & boni in se conti-
neret. Quanto magis autem, cum planè inutilis, non
necessaria, & periculosa sit, & omnia vitiosius, atque certius
absque Missa haberi possint, eam missam facere de-
mus, ut abusus istos tetros perpetuo fugiamus?

Quinto. Cum Missa nihil sit aliud, nec aliud esse
possit, (sic Canon & omnes libri pronunciant) quod
opus hominum, (etiam impiorum nebulonum) quod
opere aliquis seipsum, & alios vnà cum seipso, cum
Deo reconciliare, remissionem peccatorum & gratiam
impetrare & mereri conatur, (sic enim estimatur
Missa, cum maximè prædicatur: ad quid enim alioquin
prodesset?) ideo certè damnanda & reijcienda est.
Hoc enim directè pugnat cum primario articulo, qui
affirmat, non Missificum sacerdotem, vel bonum vel
malum, suo opere, sed agnum Dei & Filium Dei tollere
peccata nostra.

Quòd si quis fucum facere, & prætereundum vellet,

ex d.

ex deuotione sibi ipsi communionem exhibere uelle, is lōgè erraret, nec serio & ex animo loqueretur. Communio enim uera & certa est in Sacramento, quæ fit secundum institutionem Christi. Seipsum autem communicare, humana persuasio est, incerta, & non necessaria, imò prohibita. Nescit enim ille, quid faciat, cum absq; uerbo Dei, opinioni & figmento humano obsequatur. Nō etiam rectè facitis, (etiā si res alioqui plana esset) qui Sacramentum proprium Ecclesiæ, extra Ecclesiæ communionem, sine uerbo Dei, ex propria quadam deuotione & affectione usurpare uult.

In hoc articulo de Missa, Concilium potissimū fundabit & consummabitur. Etsi enim possibile esset, ut omnes reliquos articulos nobis concederent, tamen hunc concedere non poterunt, quemadmodum Camporius Augustæ dixit, se prius omnia tormenta, membrorum dilaniationē & mortē passurum, quā Missam missam facturum esse. Et ego etiam, per Dei opem in cineres corpus meū redigi & concremari patiar prius, quā ut Missariū uentrem, uel bonū uel malum, æquiparari Christo Iesu, Dño & seruatori meo, aut eo superiore esse seram. Sic scilicet in æternum disiungimur, & contrarij inuicem sumus. Sentiunt quidem optime, cadente Missa, cadere Papatum. Hoc priusquam fieri patiantur, omnes nos trucidabunt, si poterunt.

Cæterum Draconis cauda ista (Missam intelligo) peperit multiplices abominaciones & idolatrias.

Primò Purgatorium. Missis enim pro animabus, item, Vigilijs, septimis, & tricesimis, anniuersarijs exequijs, postremò uulgari septimana, & omnium animarum die, balneis, & quæ his affinia sunt, innumeris alijs phantasijs, irruerunt in purgatorium. Sic Missa prope modum pro solis defunctis fuit celebrata, cum tamen Christus Sacramentū pro solis uiuentibus instituerit. Quapropter purgatorium, & quicquid ei solennitatis,

cultus & quæstus adhæret, mera Diaboli larua est. Ignat enim cum primo articulo, qui docet, Christi solum & non hominum opera, animas liberare, Et c. stat etiam, de mortuis nihil nobis diuinitus mandatum esse. Idcirco tutò omitti illud omne potest, etiam si nihil erroris & idolatriæ ei inesset.

Pontificij allegant Augustinum & quosdam patres qui de purgatorio scripserint, & non putant nos intelligere, ad quid & quare sic illi locuti sint. Augustinus non scribit esse purgatorium, nec etiam habet testimonium scripturæ, quo nitatur, sed in dubio reliquium sit, & inquit, matrem suam petiisse, vt sui commemoratio heret ad altare siue Sacramentum. At hoc vniuersum nihil, nisi hominum, & quidem vnus alterius, deuotio fuit, non constituens articulum hoc id quod solius Dei est.

Nostri autem Pontificij sententias istas hominibus citant, vt fides habeatur tetrus, blasphemis, & maledictis nundinationibus de Missis pro animabus in purgatorio, seu de inferijs, & oblationibus, &c. Sed & Augustino nunquam ista probabunt. Et cum nundinationes istas, & Missas purgatorio destinatas abolerent, quæ ne per somnium quidem Augustino in mentem venerunt, colloquemur tandem cum illis, An Augustini dicta destituta verbo, sint admittenda, & a mortuorum commemoratio ad Eucharistiam sit facienda. Ex patrum enim verbis & factis non sunt extrahendi articuli fidei: alioquin etiam articulus fidei fieri victus ipsorum, vestimentorum ratio, domus, & quemadmodum cum reliquijs sanctorum iuferunt Regulam autem aliam habemus, vt videlicet verbum Dei condant articulos fidei, & præterea nemo, ne Angelus quidem.

Secundò. Hoc etiam inde euenit, vt cacodæmones malitiam suam exercerent, & ceu animæ defuncto-

rum appaerent, Missas, vigiliis, peregrinationes, & eleemolynas exigent, horrendis mendacijs & ludibrijs: quæ omnia oportuit nos pro articulis fidei recipere, & vitam secundum illa instituere, atq; hæc Papa confirmavit, sicut & Missam, & alias abominatio- nes omnes. In his ergo cedere, aut aliquid concedere nec possumus, nec debemus.

Tertio ortæ inde sunt peregrinationes. Ad has etiam postulatæ sunt Missæ, remissio peccatorum, & gratia Dei. Missa enim omnia gubernavit. Constat autem certò, peregrinationes istiusmodi carentes verbo Dei, nobis mandatas non esse, nec esse necessarias, cum melius ad animæ curam peruenire, & sine peccato & periculo peregrinationes illas omittere possimus. Cur domi vocationes, parochiæ, verbum Dei, vxores & liberi, &c. deferuntur, quorum cura necessaria & mandata est, & non necessarij, incerti, periculosi; & diabolici ignes verè fatui seu errores illis præferuntur? Sic scilicet Satanas Papam dementavit, vt ista laudaret & stabiliret, & multi magno numero à Christo ad propria sua opera desciscerent, & idolatræ fierent, quod omnium pessimum est, cum alioqui res ipsa per se nec necessaria, nec præcepta sit, sed consilio & certitudine destituatur, & planè noxia sit. Quamobrem hic cedere, aut concedere aliquid non licet, &c. Atque hoc pro concione doceatur, peregrinationes istas esse non necessarias, sed perniciosas, & postea videatur, vbi- nam peregrinationes maneant. Sic enim spontè corruent.

Quarto, Fraternitates seu societates. Cœnobiaz enim, Canonicatus, & Vicariatæ, scriptis se obligarunt, & communicauerunt (contractu certo, & emtione confirmata) Missas omnes, & bona opera, &c. pro viuis & mortuis. Hoc non tantum prorsus humanum figmentum est, sine verbo Dei, non necessariam, non

mandatum, sed etiam contra Primarium articulum Redemptionis. Quare nec admittendum, nec ferendum.

Quintò. Reliquiæ sanctorum, refertæ multis mendacijs, ineptijs, & fatuitatibus. Canum & equorum ossa tibi sæpe reperta sunt. Et licet aliquod forte mandatum fuisset, tamen propter imposturas istas, quæ diabolo ritum excitant, tamdudum danari debuerunt, cum præsertim careant verbo Dei, & non necessitate inutiles sint. Estq; hoc omniũ terribilissimum, quod sunt, istas reliquias indulgentiam & remissionem peccatorum operari, & loco cultus Dei & boni operis, sicut Missam, illas venerati sunt, &c.

Sextò. Huc pertinent Indulgentiæ viuis & defunctis pro pecunia attributæ, quibus sacrilegus & damnatus Iudas seu Papa, meritum Christi, & merita sanctorum, & totius Ecclesiæ, vendidit, &c. quæ omnia & singula nequaquam ferenda sunt, quia carent verbo Dei, non sunt mandata, non sunt necessaria, sed pugnant cum articulo primo. Meritum enim Christi non nostris operibus, aut nummis, sed per fidem ex gratia apprehenditur & obrinetur, sine pecunia & merito, non per Papæ potestatem, sed per prædicationem verbi Dei oblatum & propositum.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

Invocatio sanctorum est etiam pars abusuum & errorum Antichristi, pugnans cum primo principali articulo, & delens agnitionem Christi. Non est mandata, nec consilio, nec exemplo, nec testimonio scripturæ nititur. Omnia in Christo melius & certius nobis sunt proposita, ut non egeamus in invocatione sanctorum, etiam si res preciosa esset, cum tamen sit maximè pernicioosa.

Et si Angeli in cælo pro nobis orent (sicut ipse quoque Christus facit) & sancti in terris, & fortassis etiam

in cœlis; tamen inde non sequitur, Angelos & sanctos à nobis esse inuocandos, adorandos, ieiunijs, ferijs, Missis, oblationibus, templorum, altarium, cultuum foundationibus, & alijs modis honorandos, vt patronos & intercessores, & vnicuique eorum certa auxilia esse tribuenda, vt Papistæ doceant & faciunt. Hoc enim Idolatricum est, & hic honos soli Deo tribuendus est. Potest quidem, vt Christianus & sanctus in terris pro merore, non in vna tantum, sed in omni necessitate, propterea autem non debeo te adorare, inuocare, ferias, ieiunia, oblationes, Missas in tui honorem & cultum celebrare, & fidem ad salutem meam tibi mancipare, cum alijs modis te honorare, diligere, & tibi gratias agere in Christo possim. Hic ergo idolatricus cultus de Angelis & defunctis sanctis si sublatus fuerit, reliqua veneratio periculo carebit, & citò obliuioni tradetur. Vbi enim spes commodi & subsidij corporalis & spiritualis adempta fuerit, ibi cultus sanctorum facile euanesceat, siue illi sint in sepulcris, siue in cœlis. Frustra enim, aut ex mera caritate, nemo ipsorum facile recordabitur, nec eos colet & honore diuino afficiet.

Summatim: Quidquid Missa Pontificia est, & quidquid habet, quod ex ea natum est, & quidquid ei adheret, id vniuersum ferre non possumus, sed damnare cogimur, vt venerandum sacramentum, purum & certum, secundum institutionem Christi, per fidem usurpatum & acceptum, retinere possimus.

III. *Articulus, de Collegijs Canonico- rum, Cathedralibus, & monasterijs.*

COLLEGIA Canonico- & cœnobica, olim optima intentione maiorum fundata, ad educandos viros doctos, & castas ac modestas feminas, debebant rursum cœuerti in talem usum, vt pastores, con-

cionatores, & alij Ecclesiarum ministri haberi possent
item, alij idonei ad politicam administrationem, seu
ad rempublicam, in ciuitatibus & regionibus, ac
educatae virgines ad œconomiam & liberorum educa-
tionem, &c.

Hunc usum si non retineant, consultum est, ut
deserantur, aut diruantur potius, quam ut idolatrie
cultibus & sumentis hominum propagata præferan-
tur Christianæ vitæ, & à Deo mandatis officijs & vo-
cationibus. Hæc enim omnia pugnant cum primo
principali articulo de Redemptione, facta per Iesum
Christum. Quid, quòd, sicut alia hominum somnia,
non sunt præcepta, non necessaria, non utilia, sed peri-
culosa, & causam præbent vano labori, molestijs peri-
culosis, & cultui infrugifero, quem Prophetæ appel-
lant Auen, id est, dolorem & laborem.

IV. Articulus, de Papatu, docet,

Quòd Papa non sit iure diuino, seu secundum ver-
bum Dei caput totius Christianitatis (hoc enim
nomen vni & soli Iesu Christo debetur) sed tan-
tùm Episcopus & pastor Ecclesiæ, quæ est Romæ, & eo-
rum, qui voluntariè, & spontè, vel per humanam crea-
turam, id est, politicum magistratum, se ad eum con-
ferunt, non vt sub ipso, tanquam sub Domino vivant,
sed vt cum eo tanquam fratres, collegæ, sodales, &
Christiani sint, quemadmodum hoc ipsam vetera Con-
cilia & ætas Cypriani ostendunt.

Hodiè verò nullus Episcoporum audet Papam no-
minare fratrem, vt ætate Cypriani factum est, sed opor-
tet, vt Episcopi, imò Cæsares & Reges, Papam appo-
sent Omnium Gratiouissimum Dominum. Hanc arro-
gantiam bona conscientia nec volumus, nec posse-
mus, nec debemus probare. Qui verò se ei subiicit
voluerit, faciat id suo periculo sine nobis.

Hinc sequitur, omnia, quæ Papa ex tam arrogante, temeraria, mendace, blasphema, & furto arrepta potestate suscepit & fecit, & adhuc facit, fuisse & esse merè diabolica acta & instituta, (excepta politici regni administratione, ubi Deus sæpe etiam per tyrannos, & perfidos nebulones populo alicubi benefacit) ad perditionem totius sanctæ Ecclesiæ Catholicæ seu Christianæ (quantum in ipso est) & ad destructionem primi & præcipui articuli de redemptione facta per Iesum Christum.

Prostant enim omnes ipsius Bullæ & libri, in quibus rugit vt Leo, (vt Angelus Apocal. 12. significat) clamans, neminem Christianorum posse saluari, nisi ei obediat, & subiectus sit, in omnibus quæcunque vult, quæcunque dicit, quæcunque facit. Hoc totum quæ aliud dictum est, nisi, licet in Christum credas, & omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, in ipso solo habeas, tamen te nihil proficere, nisi Papa habeas & colas vt Deum tuum, & ei subditus sis & obedias? cum tamen manifestum sit, sanctam Ecclesiam sine Papa fuisse ad minimū ultra quingentos annos, & adhuc hodie Græcorum & multarum aliarum linguarum Ecclesiæ nec fuisse hætenus, nec adhuc esse tuo Papa. Taceo, quod, vt sæpe dictum est, hominum hoc figmentum sit, non mandatum, non necessarium, non vile. Sancta enim Christiana siue Catholica Ecclesia consistere absque isto capite optimè potest; & constitisset certè rectius, ac melius cum ea ageretur, nisi diabolus illud caput in medium protiecisset & exaltasset. Et certum est, Papatum nullus esse usus in Ecclesia, quia nullum Ecclesiasticum officium exercet. Et necesse est, Ecclesiam permanere & consistere sine Papa.

Pono autem, Papam fateri se non iure diuino, siue ex mandato Dei esse Supremum, sed, vt concordia & Vnitas Christianorum aduersus sectarios & hæreticos

commodius conseruari possit, caput certum esse
 gendum, cui ceteri omnes quasi innitantur, atque
 e caput per homines eligi, & in hominum quoque
 electione & potestate situm esse, illud caput ut mutetur
 remoueat, sicut Constantiense Concilium hac propo-
 modum ratione tres Papas remouit, & quartum ele-
 git: pono, inquam, hæc à Papa & sede Romana ita dicitur
 & accipi, (quod tamen impossibile est: sic enim un-
 uersum suum regnum & statum immutari, eueri, & de-
 strui pateretur, omniaq; iura & volumina sua, id quod
 ut paucis dicam, nunquam faciet) tamen neq; hoc mo-
 do confuleretur Ecclesiæ Christianæ, sed plures, quæ
 antea, sectæ orituræ essent. Si enim non ex mandato
 Dei, verum ex hominis libera voluntate Capiti illi ob-
 obedientia præstanda esset, facile & breui tempore con-
 temptum, tandem nullum membrum retineret, nec et-
 iam perpetuò Romæ aut quouis alio in loco illud esse
 oporteret, sed vbicunq; & in quacunq; Ecclesia Deo
 Virum talem, qui ad tantum munus obeundum ido-
 neus esset, largiretur. Hæc res perplexa & confusio
 plena futura esset.

Quapropter Ecclesia nunquam melius gubernari
 & conseruari potest, quam si omnes sub vno capite
 quod est Christus, viuamus, Et Episcopi omnes, præ
 officio, (licet dispares sint, quò ad dona) summa cum
 diligentia coniuncti sint vnanimitate doctrinæ, fidei
 sacramentorum, orationis, & operum caritatis, &c.
 sicut S. Hieronymus scribit, sacerdotes Alexandria
 communi opera gubernasse Ecclesias. Et Apostoli
 idem fecerunt, ac postea omnes Episcopi in toto orbe
 Christiano, donec Papa caput suum super omnes at-
 colleret.

Hæc doctrina præclare ostendit, Papam esse ipsam
 verum Antichristum, qui supra & contra Christum se
 se extulit & euexit, quandoquidem Christianos non

vult esse saluos sine sua potestate, quæ tamen nihil est, & à Deo nec ordinata, nec mandata est. Hoc proprie loquendo est se efferre supra & contra Deum, sicut Paulus 2. Thessal. 2. loquitur. Et hoc profectò nec Turcæ nec Tartari faciunt, quantumuis sint Christianorum atroces hostes, sed permittunt, vt credat in Christum, quicumque voluerit, & accipiunt tributum, & obedientiam externam siue corporalem à Christianis.

Papa verò prohibet hanc fidem, aiens, sibi obediendum esse, si quis saluari velit. Hoc autem facere nolumus, etiamsi nobis propterea moriendum sit in nomine Domini. Et id in vniuersum inde oritur, quòd Papa iure diuino voluit esse summum caput Christianæ Ecclesiæ. Ideo seipsum Christo æquiparauit, & supra Christum tandem extulit, & se Caput, deinde Dominum Ecclesiæ, postea totius mundi & simpliciter terrestrè Deum prædicari voluit, donec etiam ipsis Angelis in cælo præcipere hæc & illa conaretur. Et cum instituitur discrimen inter dogma Papæ, & sacram scripturam, & vtriusq; sit collatio, manifestè patet, Papæ dogma, etiam optimum, ex ciuili, Cæsareo, & ethnico Iure conennatum esse, & politica negocia & iudicia seu iura tractare, sicut ostendunt Decretales; Deinde proponere Ceremonias de templis, vestibus, cibis, personis, & similibus ludicris, laruis, & iocularibus, supra modum, & inter hæc omnia nihil planè de Christo, fide, & mādatis Dei: Postremò, representare ipsum diabolum, dum mendacta Papalia de Missis, purgatorio, monastica vita, operibus proprijs, & cultibus fictitijs (in quibus singulis merus Papatus fundatur & consistit) supra & contra Deum vrget & disseminat, & omnes Christianos, qui has Papæ abominaciones super omnia prædicare & honorare nolunt, damnat, trucidat, excruciat. Quare sicut

1.

2.

3.

diabo-

diabolum ipsum non possumus adorare, & pro Domino & Deo colere, ita nec eius Apostolum Papam se Antichristum in regno eius, ut caput & Dominum se esse possumus. Mentiri enim & occidere, animas & corpora in æternum perdere, Pontificij regni proprium est, sicut hoc ipsum multis libris evidentissime ad oculum demonstraui.

Hi articuli quatuor sufficiunt, quos in Concilio sibi damnandos proponant. Non enim vel minimum punctulum in his articulis nobis concedunt. Et de hoc certos nos esse oportet, & præmonitos, ac obfirmatos firma spe, Christum Dominum nostrum irruisse in aduersarium suum, quem & insecutus & confecturus est spiritu & aduentu suo, Amen.

Nam in Concilio stabimus non coram Cæsare, aut politico magistratu, sicut Augustæ Vindellicorum (ubi Cæsar elementissimum edictum promulgans, benigne & placidè causam & rem ipsam audiri volebat) sed coram Papa, ac ipso diabolo comparebimus, qui nullo audire vult, sed simpliciter indicta causa damnare, occidere, & ad idolatriam vi cogere. Quare hic non sumus nobis exosculandi pedes eius, nec dicendum, Gratissimus Dominus es, sed quemadmodum in Zacharia Angelus ad Satanam dicebat:

Increpet Dominus te,
Satana.



TER TIA PARS

ARTICVLORVM.

De sequentibus articulis agere poterimus cum doctis, & prudentibus Viris, vel etiam inter nos ipsos. Papa & regnum Pontificium illos non magnopere curant. Conscientia enim apud eos nihil est, sed pecunia, gloria, honores, potentia, ipsis sunt omnia.

I. De peccato.

HIC confitendum nobis est, vt Paulus Rom. 5. affirmat, peccatum ab vno homine Adamo ortum esse & introisse in mundum, per cuius inobedientiam omnes homines facti sunt peccatores, morti & diabolo obnoxij. Hoc nominatur originale, hæreditarium, principale, & capitale peccatum.

Huius peccati fructus postea sunt mala opera in decalogo prohibita, vt sunt diffidentia, incredulitas, falsa fides siue *agnoſiſia*, idolatria, sine Dei timore esse, præsumptio seu temeritas, desperatio, cæcitas seu excecatio, & vt summatim dicam, Deum non agnoscere, non curare: Deinde, mentiti, nomine Dei abuti, peierare, non orare, non inuocare, verbum Dei contemnere vel negligere, parentibus immorigerum esse, occidere, lasciuire, furari, decipere, &c.

Hoc peccatum hæreditarium tam profunda & tetra est corruptio naturæ, vt nullius hominis ratione intelligi possit, sed ex scripturæ patefactione agnosceda & credenda sit, Plal. 51. Rom. 5. Exod. 33. Gen. 3. Quapropter meri sunt errores, & caligines contra hunc articulum, scholasticorum doctorum dogmata, quibus docetur:

Post Adæ lapsum, hominis naturales vires man-
integras, & incorruptas, & Hominem naturaliter habere
rationem rectam, & bonam voluntatem, sicut philo-
sophi docent.

N Et: Hominem habere liberum arbitrium facien-
bonum, & omittendi malum, & econtra, omittendi
bonum, & faciendi malum.

Item, Hominem posse naturalibus viribus omnia
 mandata Dei seruare & facere.

Et: Posse naturalibus viribus Deum super omnia
diligere, & proximum, sicut seipsum.

Item, Si faciat homo, quantum in se est, Deum la-
giri ei certo suam gratiam.

Et: Si accedere velit homo ad Eucharistiam, non
opus esse bono proposito rectè faciendi, sed suffice-
re, si non adsit malum propositum peccandi: tantum
bonam scilicet esse naturam, & tantam esse viam sacra-
menti.

Item, Non posse ex scriptura probari, ad bonum
opus necessario requiri Spiritum sanctum & eius gra-
tiam.

Talia & similia portenta, orta sunt ex inscitia, &
ignorantia peccati, & Christi seruatoris nostri: sunt
verè & merè ethnica dogmata, quæ tolerare non pe-
sumus. Si enim ista approbantur, Christus frustra mor-
tuus est, cum nullum peccatum & damnum sit in ho-
mine, pro quo mori eum oportuerit: aut solummodo
pro corpore mortuus diceretur, non pro anima, quæ
doquidem anima prorsus sana, & solum corpus ma-
obnoxium perhiberetur.

II. De Lege.

Sentimus, Legem à Deo datam esse, primum, ut pe-
 catum prohiberetur comminationibus, & me-

pœnarum. Item, promissione & annunciatione gratiæ & beneficiorum. Sed hæc omnia propter malitiam, quam peccatū in homine effecit, malè cesserunt. Quidam enim inde deteriores redditi fuerunt, qui scilicet legem oderunt prohibentem ea, quæ facere ipsi malent, & præcipientem, quæ grauatim præstant. Quare, nisi pœna coerceantur, plura patrarent contra legem, quam antea. Atq; hi sunt mali, effrenes, & securi homines, qui perpetrant mala, quoties occasionem aliquam offerri sibi animaduertunt.

Quidam verò arrogantia & cæcitate percuriuntur, & insolenti opinione tenentur, se seruare, & posse seruare legem viribus suis, sicut iam paulò antè de scholasticis doctoribus dictum est. Hinc hypocritæ & iustitiarij, seu in speciem sancti, proueniunt.

Præcipuum autem officium & ἐπέμεια legis est, vt peccatum originale & omnes fructus eius reuelet, & homini ostendat, quam horrendum in modum natura eius lapsa sit, & funditus ac totaliter deprauata, ita, vt Lex ei dicat, hominem nec habere, nec curare Deum, & adorare alienos Deos: id quòd antea & sine lege homo non credidisset. Hac ratione perterrescit, humiliatur, prosterhitur, desperat de se ipso, & anxie desiderat auxilium, nec scit, quòd fugiat, incipit irasci Deo, & abmurmurare præ impatientia. Hoc est, quod Paulus inquit Roman. 4. Lex iram operatur. Et Roman. 5. Lex auget peccatum. Lex subintravit, vt abundaret delictum.

III. De Pœnitentia.

HOC officium Legis retinetur in nouo Testamento, & in eo exercetur, vt Paulus Rom. 1. facit, inquit: Ira Dei de cœlo reuelatur super omnes homines. Et 3. Omnes sunt rei corâ Deo. Nemo homi-

num

num iustus est coram eo. Et Christus Ioh. 16. inquit Spiritus sanctus arguet mundum de peccato.

Jerem. 23.

Hoc igitur fulmen est Dei, quo & manifestos peccatores, & hypocritas proflernit, & nullum iustum pronunciat, sed omnes ad terrorem & desperationem addigit. Hic malleus est, ut Hieremias inquit: Verbum meum quasi malleus conterens petras. Hæc non est aduaria contritio, seu factitia, & accersita, sed passiva contritio, conscientie cruciatus, vera cordis passio, & sensus mortis.

Sic scilicet incipit vera pœnitentia. Et hic homo audit sententiam promulgari dicentem: Quotquot estis, nihil leuistis, siue manifesti peccatores, siue opinati vestra sancti sitis. Omnes vos alios fieri oportet, & aliter operari, quam quales nunc estis, & sicut iam operamini, qualescunque sanè sitis, magni, sapientes, potentes, sancti. In summa, hic nemo iustus, sanctus, pius est.

Huic officio nouum Testamentum statim adiungit consolationem & promissionem gratiæ Euangelij, credendum est, sicut Christus inquit Marc. 1. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio, id est, fatis alij, & cruciatis aliter, & credatis meæ promissioni. Et ante Christum Iohannes nominatur præco pœnitentiæ, sed remissionem peccatorum, hoc est, Iohannes omnes arguit, & peccatores esse euicit, ut scirent, quid coram Deo essent, & seipsos agnoscerent, ut perditos homines, atque ita Deo apparerentur ad gratiam amplectendam, & remissionem peccatorum ab eo sperandam accipiendam. Sic etiam Christus Luc. 24. ipse inquit In nomine meo ubiq; prædicanda est pœnitentia & remissio peccatorum inter omnes gentes.

Quando autem lex hoc officium suum sola exercere sine Euangelio, nihil aliud, nisi mors & infernus horrorem opprimunt, prorsus desperantem, ut Saulem &

dam, sicut Paulus testatur, legem per peccatum hominem morti tradere. Econtra Euangelium adfert consolationem & remissionem, non vno tantum modo, sed per verbum, Sacramenta, & similiter, quemadmodum audiemus paulò post, vt ita redemptio apud Deum sit copiosa, vt in 130. Psalmo scriptum est, contra horrendam captiuitatem peccati.

Nunc porrò falsam pœnitentiam sophistarum cum vera pœnitentia conferemus, vt vtraq; meliùs intelligi possit.

DE FALSA PŒNITENTIA PONTIFICIORVM.

Impossibile fuit, Pontificios rectè docere de pœnitentia, cum verum peccatum non rectè agnouerint.

Nam, vt supra ostensum est, de peccato originali non rectè sentiunt, quia aiunt, naturales vires hominis mansisse omnino integras & incorruptas, & rationem rectè posse docere, ac voluntatem posse ea, quæ docentur, præstare, & Deum certò donare suam gratiam, cum homo tantum facit, quantum in se est, secundum liberum suum arbitrium.

Ex hoc dogmate sequitur, tantum ob actualia peccata agendam esse pœnitentiam, vt sunt, malæ cogitationes, quibus homo obtemperat, (concupiscentia enim, vitiosi affectus, inclinatio, libido & affectio praua secundum illos non sunt peccata) sermones mali, mala opera, quæ voluntas libera omittere potuisset.

Huic pœnitentiæ adiungunt tres partes, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, addita grandi consolatione & pollicitatione remissionis peccatorum, meriti, expiationis peccatorum, ac plenariæ redemptionis coram Deo, si homo verè doleat, confiteatur, & satisfaciat. Sic in pœnitentia homo ad fiduciam priorum operum ducitur. Hinc orta est vox, quæ in suggestis, cum prælegeretur vulgo publica absolutio,

vlurpata fuit; Prolongā Deus vitam meam, donec peccatis meis satisfecero, & vitam meam emendauerim.

Hic altum fuit silentiū de Christo & fide, & tantū opinio & spes fuit de proprijs operibus, quibus peccata corā Deo delerentur. Et hanc ob causam factū tum sacrifici & Monachi, vt nos ipsos peccato opponerem.

Quod ad contritionem attinet, cū nemo posset omnia peccata sua in memoria retinere, praesertim per integrum annum commissa, centones hos assuebant, in memoria peccati absconditi fortè recurreret, etiam illud sufficiente contritione defendendum & confitendum esse, &c. Interea Dei gratiā homo committebatur.

Cū etiam nemo sciret, quanta contritio esse deberet, quae coram Deo sufficeret, dicebant, si quis contritionem non haberet, eum saltem attritionem habere oportere, id est, dimidiam quasi contritionem, vt initium contritionis. Hæc vocabula ipsi nec intellexerunt, nec intelligunt, minùs, quàm ego. Et attritio reputabatur pro contritione, venientib. ad confessionem.

Et cū quis diceret, se non posse habere contritionem, seu non dolere posse ob peccata sua (vt hoc potuit in illicito amore, aut vindictæ cupiditate, & cæteris) interrogabant, an is non optaret, & cupere dolere? Respondenti, cupere se, (quis enim, nisi ipsi diabolus, negaret se cupere?) accipiebant hoc pro contritione, & remittebant peccata propter hoc bonum ipsius opus, quod nomine Contritionis ornabant. Hic allegabant exemplum Bernhaldi, &c.

Videmus autem, quàm palpet & titubet cæcitas in rebus diuinis, & consolationem quærat in proprijs operibus, pro sua opinione, & Christi & fidei prorsus obliuiscatur. Quod si res ipsa perspicuè consideretur, contritio ista est factitia & fictitia cogitatio seu imaginatio ex proprijs viribus, absque fide, absque agnitione Christi. Et in ista contritione miser peccator fortè re-

cordans suæ flammæ, & cupiditatis vindictæ, vel ride-
re, vel lachrymare potius potuit, quam aliud cogita-
re, exceptis ijs, qui vel legis fulmine tacti, vel a dia-
bolo spiritu tristitiæ afflicti fuerunt. His, inquam, exce-
ptis, Contritio ista fuit mera hypocrisis, & peccati flā-
mas non mortificauit. Oportuit enim homines dole-
re, cum libentius peccassent, si liberum ipsis fuisset.

CONFESSIO sic instituebatur, vt homines iube-
rentur omnia sua peccata enumerare (quod factu im-
possibile est) Hæc inges carnificina fuit. Et si quis quo-
rundam peccatorum oblitus esset, is eatenus absolue-
batur, vt si in memoriam illa recurrerent, ea postea
contereret. Nemo igitur scire potuit, num vnquam
sufficeretur, purè, & rectè confessus esset, & quando
confessionis finis futurus esset. Et tamen nihilominus
ducebantur homines ad propria sua opera, & hæc con-
solatio ipsis proponebatur: Quò confessio esset pu-
rior, magis ingenua & aperta, pudore & ignominia co-
ram sacerdote iussula, eò satisfactionem pro peccato
esse plenior, & humilitate illa certò ac meritò gra-
riam Dei impetrari.

Nulla hîc fides, nullus Christus erat. Et virtus abso-
lutionis non explicabatur contenti, sed consolatio e-
ius in enumeratione peccatorum & pudefactione cõ-
sistebat. Nemo autem recitare potest miseras, carni-
ficinas, fraudes & idolatrias ex Confessione ista natas.

Cæterum SATISFACTIO longè perplexior est.
Nemo enim scire poterat, quantu faciendum esset pro
vno tantum peccato, nedum pro omnibus. Hic arte v-
tebantur, & parum satisfactionum imponebant, quæ
etiam facile seruari poterant, vt quinq; orationes do-
minicas, ieiunium vnus diei, &c. cætera, quæ in pœni-
tentia desiderari dicebant, relegabant ad purgatorium.

Hic quoq; magna calamitas oriebatur. Quidam e-
nim metuebant, se in æternu ex purgatorio non libe-

N.

rari posse, cū secundū veteres Canones, pro vno peccato mortali pœnitentia septennis seu septem annorum constituta esset. Et tamen fiducia semper collocata erat in nostro opere satisfactionis, ac si satisfactio potuisset esse perfecta, tota fiducia in eam coniecta fuisset, nec opus fuisset Christo & fide. At impossibile illa erat. Et si quis centum annos pœnitentiam ista ratione exercuisset, nondum certus tamen de sufficientia, perfectione, & fine pœnitentiæ suæ fuisset. Hoc scilicet erat perpetuò pœnitere, & nunquam ad pœnitentiam peruenire.

Hac de causa sedes ista Romana sancta misera Ecclesiæ subueniebat, & Indulgentias effungebat, quibus remittebatur, & abolebatur expiatio seu satisfactio primi particulatim, ad annos septem, centū, &c. & eadem distribuebat inter Cardinales, & Episcopos, ita, ut quidam annos centum, quidam ad dies centum indulgentiam conferrent. Totam autem satisfactionem relaxandi, potestatem sibi reseruabat.

Hac ratione cum accresceret pecunia, & nundinatio bullarum esset fructuosa, excogitauit annum aureum Iubilæum, verè auriferum (Jubeljahr / Guldensjahr) quem Romæ celebrari voluit. Hunc appellabat remissionem omnis culpæ & pœnæ. Accurrebant igitur plurimi, quia ab onere molestissimo liberari vnusquisq; cupiebat. Hoc erat effodere & conquirere thesauros terræ. Mox Papæ annos aureos multiplicabat, & alium supra alium accumulabat, & quò plus auri deuorabat, eo plus fauces ipsius appetebant.

Ideoque per legatos suos mittebat annos isto passim in prouincias, quoad omnia templa & domus annis aureis opplerentur. Tandem irruerat etiam in purgatorium ad defunctos; primū, Missarum & Vigiliarum fundatione, deinde indulgentijs, & anno aureo, & animas tam vili precio æstimabat, vt vnā pro sex numinis liberam pronuncians dimitteret.

Nec

Anno
aureo
vel annu-
ifer.

N

Neque tamen hoc quoq; sufficebat. Papa enim, et si iubebat homines indulgentijs istis tutò fidere ad salutem, tamen ipse rem vniuersam denuò incertam, in dubium vocabat. Nam in bullis suis scribit, Eum, qui indulgentiarum seu Iubilæi anni particeps fieri velit, oportere contritum, & confessum esse, ac pecuniam numerare. Audiuimus autem supra, Contritionem & Confessionem illorù esse incertam & hypocriticam. Nemo etiam sciebat, quæ anima in purgatorio esset, ac si quæ in eo esse dicebantur, nemo sciebat, quæ recte & contritæ & confessæ fuissent. Sic Papa sanctum denarium corradebat, & interea ducebat homines ad fiduciam potestatis & indulgentiarum suarum, & rursus inde abducebat ac remittebat ad incerta ipsorum opera & merita.

Cumq; nonnulli essent, qui se actualium peccatorum istorum vel cogitationibus, vel verbis, vel factis commissorum non agnoscebant reos, quemadmodum ego & mei similes in monasterijs & foundationibus, seu sacerdotum sodalitijs, seu Collegijs monachi & flamines, ieiunijs, vigilijs, orationibus, Missarum celebrationibus, duris lectisernijs & vestibus, &c. resistere conabamur malis cogitationibus, & violenter sancti esse volebamus, & licet ianatum malum sæpe etiam interdormiendum (sicut Augustinus & Hieronymus & alij quoque conqueruntur) naturam suam exereret, tamen nos mutuo sanctos esse æstimabamus, sicut docebamur, sine peccato, & plenos operum bonorum, vsque adeò, vt bona opera nostra etiam alijs, quasi superflua in nobis ad salutem consequendam, communicaremus & venderemus, id quod ita factum esse, testantur sigilla, literæ, exempla, quæ extant.

Cùm igitur, inquam, tales essent, hi pœnitentia non indigebant. Quæ enim contritio poterat esse in ijs, qui malis cogitationibus non assentirentur? Quæ

confessio de verbis non prolatis? Quæ satisfactio pro
non factis, seu pro innocentia, qua alijs miseris peccato-
toribus superabundans iustitia vendi poterat? Tale
hypocritæ & sancti erant tempore Christi etiam Pha-
risæi & Scribæ.

Hic exurgit Angelus ille igneus B. Iohannes, præ-
verus veræ pœnitentiæ, & tonitru ac fulmine vno feri-
ambos (videntes & ementes opera) inquit: Agite
pœnitentiam. Attamen egimus pœnitentiam, autem
miseri illi. Cæteri verò dicunt, non indigemus pœni-
tentia. Iohannes autē inquit: Ambo agite pœnitentiam
quia falsi estis pœnitentiarij, & cæteri sunt falsi sancti
seu hypocritæ, & ambo indigetis remissione peccato-
rum, cum nondum sciatis, quid sit verè peccatum, ne-
dum, vt de eo pœnitere, & fugere illud possitis. Nullus
vestrum bonus est, pleni estis incredulitate, ruditate &
ignorantia Dei & voluntatis Dei. Præsens enim hęc co-
râm adest, de cuius plenitudine nos omnes accipere
oportet, gratiam pro gratia. Et ne no hominum sine
ipso coram Deo iustus esse potest. Quare si pœnitenti-
am agere volueritis, rectè illam agite: vestra pœnitenti-
a nulla est. Et, vos hypocritæ, qui non egetis pœni-
tentia, vos genuina viperarum, quis vos certos red-
didit, vt fugeretis à ventura ira? &c.

Eodem modo etiam Paulus Roman. 3. conuincitur:
Non est iustus quisquam, non est intelligens, non
est requirens Deum: non est, qui faciat bonum, ne-
nus quidem. Omnes declinauerunt, & inutiles facti
sunt. Et Acto. 17. Nunc Deus annunciat hominibus,
omnes ubiq; pœnitentiam agant. Omnes dicit, nemine
excepto, qui modò homo est. Hęc pœnitentia docet
nos agnoscere peccatum, videlicet, de nobis omnibus
planè actum esse, & intus & in cute nihil boni in nobis
esse, & simpliciter fieri nos alios & novos homines
oportere.

Ha

Hæc pœnitentia non est partialis, & mutilata, qualis est ista auctualium peccatorum, nec etiam est incerta, qualis ista est. Non enim disputat, vtrum sit peccatum, vel non peccatum, sed totum prostermit, & affirmat, vniuersum & merum esse peccatum, quò ad nos (& nihil esse in nobis, quod non sit peccatum siue reum.) Quid enim diu quarere, partiri & distinguere volumus? Quamobrem etiam Contritio hic non est dubia aut incerta. Nihil enim remanet, quo aliquid boni cogitare possimus ad expiandum peccatum, sed abijcienda nobis est omnis spes de omnibus, quicquid sumus, quicquid cogitamus, loquimur & facimus, &c.

Similiter Confessio quoque non potest esse falsa, incerta, manca, aut mutila. Qui enim confitetur, totum in se esse merum peccatum, is comprehendit omnia peccata, nullum excludit, nullius obliuiscitur, Sic & satisfactio non potest esse incerta, quia non est nostrum incertam & peccato contaminatum opus, sed est passio & sanguis immaculati & innocentis Agni Dei, qui tollit peccata mundi.

De hac pœnitentia concionatur Iohannes, deinde Christus in Euangelio, & nos etiam. Et hac pœnitentiæ concione destruimus Papam, & omnia, quæ nituntur nostris bonis operibus. Omnia enim fundamento putri & vano insunt, quod appellatur, Bonum opus siue Lex, cum tamen nullum bonum opus adsit, sed tantum mala opera, & nemo faciat legem (vt Christus Iohan. 7. testatur) sed omnes eam transgrediantur. Quare ædificium, quod superstruitur, tantummodò mendacium & hypocrisis est, etiam qua in parte sanctissimum & formosissimum est.

Hæc pœnitentia in Christianis durat vsque ad mortem, quia luctatur cū peccato residuo in carne per totam vitam, sicut Paulus Rom. 7. ostendit, se belligerari cum lege membrorum suorum, &c. idq; nõ proprijs viribus, sed dono Spiritus sancti, quod remissionem peccatorum

sequitur, & quotidie reliquias peccati purgat & expulit, & in eo est, ut hominē purificet, rectificet, sanctificet.

De tantis rebus Papa, Theologi, Iurista, alijq; homines ex ratione sua nihil norunt, sed hæc doctrina est à cælo per Euangelium patefacta, & ab impijs sancti seu hypocritis pro hæresi proclamatur.

C A P I T U L U M, si sectarij quidam orientur, quorum nonnulli iam forsitan adsunt, & tempore seditionis rusticanae mihi ipsi in conspectum veniebant, sentientes, Omnes eos, qui semel Spiritum aut remissionem peccatorum accepissent, & credentes facti essent, et deinde peccarent, manere tamen in fide, & peccatum ipsis nihil obesse. Hinc voces ipsorum, Fac, quidquid lubet, modò credas, nihil tibi nocet, fides omnia peccata delet, &c. Addunt præterea: Si quis post fidem & Spiritum acceptum peccet, eum nunquam Spiritus fidem verè habuisse. Et tam insanos homines videtis adiu multos, & vereor, ne adhuc in nonnullis demoni iste latitans habitet.

Si igitur, inquam, tales in posterum etiam orientur, sciendum & docendum est, Quòd si sancti, qui originale peccatū adhuc habere se sentiunt, & quotidie de eo poenitent, & cum eo luctantur, insuper tuant manifesta peccata, ut David in adulterium, homicidium, & blasphemiam, eos excutere fidem & Spiritum sanctum, & abesse tum ab ipsis fidem & Spiritum sanctum. Spiritus enim sanctus non sinit peccatum dominari, inualescere, & victoriam obtinere, ac consummari, sed reprimit, & coërcet, ne facere possit, quod vult. Si verò facit, quod vult, certè Spiritus sanctus & fides amittuntur, nec simul adsunt. Sic enim inquit Iohannes Qui ex Deo natus est, non peccat, & peccare non potest. Et tamen etiam hoc verum est, quod idem Iohannes dicit: Si dicimus, nos peccatum non habere, mentimur, & veritas Dei non est in nobis.

IV. De Euangelio.

Nunc ad Euangelium redibimus, quod non vno modo consult & auxiliatur nobis contra peccatum. Deus enim superabundanter diues & liberalis est gratia & bonitate sua, primùm per verbum vocale, quo iubet prædicari remissionem peccatorum in vniuerso mundo. Et hoc est proprium officium Euangelij. Secundò per Baptismum. Tertio per venerandum sacramentum Altaris. Quartò per potestatem clauium, atq; etiam per mutuum colloquium & consolationem fratrum. Matth. 18. Vbi duo aut tres fuerint congregati, &c.

V. De Baptismo.

BAPTISMVS nihil est aliud, quàm Verbum Dei cum mersione in aquam, secundùm ipsius institutionem & mandatum, siue, vt Paulus inquit, lauacrum in verbo, sicut & Augustinus ait: Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum. Quare non sentimus cum Thoma & monachis prædicatoribus seu Dominicanis, qui verbi & institutionis Dei oblitii dicunt, Deum spiritualement virtutem aquæ contulisse & indidisse, quæ peccatum per aquam abluat. Non etiam facimus cum Scoto & Minoritis seu Monachis Franciscanis, qui docent, baptismo abluere peccatum ex assistentia diuinæ voluntatis, & hanc abluitionem fieri tantùm per Dei voluntatem, & minimè per verbum & aquam.

Ephes. 5.

DE pædobaptismo docemus, Infantes esse baptizandos. Pertinent enim ad promissam redemptionem per Christum factam. Et Ecclesia debet illis baptismum, & promissionis illius annunciationem.

X 5

VI. De

VI. De Sacramento altaris.

DE Sacramento Altaris sentimus, Panem & Vinum in Cœna esse verum Corpus & Sanguinem Christi, & non tantum dari, & sumi à pijs, sed etiam à impijs Christianis.

Et non tantum vnam speciem esse dandam, Non enim indigemus doxosophia ista, quæ nos doceat, sub vna specie tantum esse, quantum sub vtraque; sicut Sophistæ & Concilium Constantiense docent. Et si enim verum esse forte possit, quod sub vna tantum sit, quantum sub vtraque; tamen vna species non est tota ordinatio & institutio per Christum facta, tradita & mandata. In primis verò damnamus & execramur in nomine Domini omnes eos, qui non tantum vtramque speciem omittunt, verumetiam tyrannicè eam prohibent, damnant, & blasphemant vt hæresin, & in se ipsos supra & contra Christum Dominum & Deum nostrum extollunt, opposcentes & præponentes se Christo, &c.

De Transsubstantiatione subtilitatem sophisticam nihil curamus, qua fingunt, panem & vinum relinquere & amittere naturalem suam substantiã, & tantum speciem & colorem panis, & non verum panem remanere. Optimè enim cum sacra scriptura congruit, quod panis adsit, & maneat, sicut Paulus ipse nominat: Panem quem frangimus. Et: Ita edat de pane.

VII. De Clauibus.

CLAVES sunt officium & potestas Ecclesie Christo data, ad ligandum & soluendum peccata, non tantum enormia & manifesta, sed etiam subtilia, abscondita, soli Deo nota, sicut Psal. 19. secretum est: Delicta quis intelligit? Et Rom. 7. Paulus

conqueritur, se carne seruire legi peccati. Non enim penes nos est, sed solius Dei est iudicare, quæ, quanta & quotuplicia sint peccata, vt scriptum est Psal. 144. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur coram te omnis viuens. Et Paulus 1. Cor 4. inquit: Nullius quidem mihi conscius sum, sed per hoc non iustificatus sum.

VIII. De Confessione.

CVM ABSOLVTIO & virtus clauium, etiam sit consolatio & auxilium contra peccatum & malam conscientiam, in Euangelio ab ipso Christo instituta, nequaquam in Ecclesia confessio & absolutio abolenda est, præsertim, propter teneras & pauidas conscientias, & propter iuuentutem indomitam, & petulantem, vt audiatur, examinetur, & instituat in doctrina Christiana.

Enumeratio autem peccatorum debet esse unicuique libera, quid enumerare aut non enumerare velit. Quam diu enim in carne sumus, non mentiemur confitentes & dicentes: Agnosco, me miserum esse peccatorem, & scatero peccatis. Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis, &c. Et cū Absolutio priuata ab officio Clauium oriatur, negligenda non est, sed maximi facienda, sicut & alia officia Christianæ Ecclesiæ magnitacienda sunt.

Et in his, quæ vocale & externum Verbum concernunt, constanter tenendum est, Deum nemini Spiritum vel gratiam suam largiri, nisi per Verbum, & cum verbo externo & præcedere, vt ita præmuniamus nos aduersum Enthusiastas, id est, spiritus, qui iactant, se ante verbum & sine verbo Spiritum habere, & ideo scripturam sine vocale verbum iudicant, fleant & reflectunt pro libito, vt faciebat Monerarius, & multi adhuc hodie, qui acutè discernere volunt inter

p. 378. vide
Contradictione

Spiri-

Spiritum & literam, & neutrum norunt, nec quid lo-
ruant, sciunt. Quid, quod etiam Papatus simpliciter
merus Enthufasmus, quo Papa gloriatur, omnia
esse in ferinio sui pectoris, & quidquid ipse in Eccle-
sua sentit & iuber, id Spiritum & iustum esse, etiam si
pra & contra scripturam & vocale verbum aliquid
tuat & praecipiat.

Hoc in vniuersum antiquus est Satanas & serpens
qui etiam Adamum & Eam in enthufasum con-
ciebat, & ab externo verbo Dei ad spiritualitates
proprias opiniones abducebat, id quod tamen & ipse
per alia externa verba perficiebat, perinde ac hodie no-
stri Enthufastæ externum verbum damnant, & tamen
ipsi non silent, sed mundum garrulitatibus & scriptio-
nibus implent, quasi verò Spiritus per scripta & voca-
le verbum Apostolorum venire nequeat, sed per ipso-
rum verba & scripta primùm veniat. Cur ergo non ipse
etiam omittunt suas conciones & scriptiones, donec
Spiritus ipse ad homines, sine ipsorum scriptis, & ante
ea veniat, quemadmodum gloriantur, Spiritum se ac-
cepisse sine praedicatione scripturarum? Sed de his iam
non vacat pluribus disputare, Et satis aliàs de his an-
tis dictum est.

Nam etiam ij, qui ante Baptismum credunt, vel
Baptismo credere incipiunt, per externum praecedens
verbum credunt, vt adulti. Audiunt enim: Quicum-
crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: etiam si pri-
mùm increduli post decennium accipiant Spiritum
baptismum, Cornelius Actor, 10. longè antè audierat
apud Iudæos de venturo Messia, per quem iustus co-
Deo, preces & eleemosynas Deo gratas praestabat
fide, (sicut Lucas eum nominat iustum, pium & timen-
tem Dei) & sine praecedente illo verbo atq; auditu
credere & iustus esse non poterat. Petrus autem pater-
re ei iuebatur, Messiam (in quem venturum habebat)

ille crediderat iam aduenisse, vt fides eius de venturo Messia, eum apud induratos & incredulos Iudæos non captiuam teneret, sed vt sciret, se saluandum esse per presentem Messiam, & hunc cum Iudæorum turba non negaret, nec persequeretur, &c.

Quid multis? Enthusiasmus insitus est Adamo & filijs eius à primo lapsu vsq; ad finem mundi, ab antiquo Dracone ipsis veneno quodam implantatus & infusus, estq; omnium hæresiu, & Papatu, & Mahometismi origo, vis, vita & potentia. Quare in hoc nobis est constanter perseverandū, quod Deus non velit nobiscum aliter agere, nisi per vocale verbum & sacramenta, & quod, quidquid sine verbo & sacramentis iactatur, vt spiritus, sit ipse diabolus. Nam Deus etiam Mosis voluit apparere per rubum ardentem, & vocale verbū. Et nullus Propheta, siue Elias, siue Elisæus, Spiritum sine decalogo siue verbo vocali accepit. Et Iohannes baptista nec concipiebatur sine Gabrielis præcedente verbo, nec in matris utero saliebat sine Mariæ verbo. Et Petrus inquit: Prophetæ non ex voluntate humana, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt, sancti Dei homines, qui sine verbo externo non erant sancti, nec à Spiritu sancto, vt non sancti, seu profani, ad prophetandum impulsis; sed sancti erant, inquit Petrus, cum per eos Spiritus sanctus loqueretur.

2. Pet. I.

IX. De Excommunicatione.

Maiorem illam excommunicationem, quam Papa ita nominat, nõ nisi ciuilem pœnam esse ducimus, non pertinentem ad nos ministros Ecclesiæ. Minor autem, quam nominat, vera & Christiana est excommunicatio, quæ manifestos & obstinatos peccatores non admittit ad sacramentum & communionem Ecclesiæ, donec emendentur, & scelera vitent. Et ministri non debent confundere hanc Eccle-

siasticam poenam seu excommunicationem, cum poenis civilibus.

X. De Initiatione, Ordine, & Vocatione.

SI Episcopi suo officio rectè fungerentur, & curam Ecclesie & Euangelij gererent, posset illis nominis caritatis & tranquillitatis, non ex necessitate, permitti, ut nos & nostros concionatores ordinarent, confirmarent, hac tamen conditione, ut seponerent omnes larvas, præstigiæ, deliramenta, & spectra pompæ ethnicæ. Quia verò nec sunt, nec esse volunt veri Episcopi, sed politici dynastæ & Principes, qui nec concionantur & docent, nec baptizant, nec cœnam admittunt, nec vllum opus & officium Ecclesie præstant, sed eos, qui vocati munus illud subeunt, persequuntur & condemnant, profectò, ipsorum culpâ, Ecclesia non deferenda, nec ministris spolianda est.

Quapropter, sicut vetera exempla Ecclesie & Patrum nos docent, idoneos ad hoc officium ipsi ordinare debemus & volumus. Et hoc nobis prohibere non possunt, etiam secundum sua ira, quæ affirmant etiam ab hæreticis Ordinos, verè esse ordinos, illam ordinationem non debere mutari. Et Hieronymus scribit de Ecclesia Alexandrina, eam primùm Episcopis, presbyteris, & ministris communi operam gubernatam fuisse.

XI. De Coniugio Sacerdotum.

Quòd coniugium prohibuerunt, & diuinum oneratum sacerdotum perpetuo cœlibatu oneratum, malitiosè sine omni honesta causa fecerunt, & eo Antichristi, tyrannorum, & pessimorū nebulosum.

opus exercuerunt, ac causam præbuerunt multis horrendis, abominandis, innumeris peccatis tetrarum libidinum, in quibus adhuc volutantur. Sicut autem nec nobis, nec ipsis datum est, vt ex masculino sceminam aut ex scemella marem condamus, aut vtrunq; annihilemus: ita etiam ipsis non est datum, vt creaturas Dei disungant, separent, vetent, ne in coniugio honestè vni cohabitent & viuant. Quare ipsorum spurco celibatui assentiri nolumus, nec etiam illum feremus, sed coniugium liberum habere volumus, sicut Deus illud ipse ordinauit & instituit, cuius opus nec rescindere, nec destruere, nec impedire volumus. Paulus enim dicit, prohibitionem coniugij esse doctrinam dæmoniorum, 1. Tim. 4.

XII. De Ecclesia.

Nequaquam largimur ipsis, quòd sint Ecclesia, quia reuera non sunt Ecclesia. Non etiam audiemus ea, quæ nomine Ecclesiæ vel mandant, vel vetant. Nam (Deo sit gratia) puer septem annorum nouit hodie, Quid sit Ecclesia, nempe, credentes, sancti, ouiculæ audientes vocem pastoris sui. Sic enim orant pueri: Credo sanctam Ecclesiam Catholicam siue Christianam. Hæc sanctitas non consistit in amiculo linteo, insigni verticali, veste talari, & alijs ipsorum ceremonijs contra sacram scripturam excogitatis, sed in verbo Dei, & vera fide.

XIII. Quomodo coram Deo homo iustificetur. Et, De bonis operibus.

Quod de iustificatione hætenus semper & assiduè docui, mutare nec in minimo possum, videli-

cet,

cer, nos per fidem (vt Petrus loquitur) aliud nouum mundum cor acquirere, & Deum propter Christum mediatorem nostrum, nos iustos & sanctos reputare. Et etsi peccatum in carne nondum planè ablatum mortuum est, tamen Deus illud nobis non vult imputare, nec meminisse.

Hanc fidem, renouationem, & remissionem peccatorum, sequuntur bona opera. Et quod in illis pollutum & imperfectum est, pro peccato & defectu non censetur, idq; etiam propter Christum, atq; ita totus homo, cum quò ad personam suam, tum quò ad opera sua, iustus & sanctus est, & nominatur, ex mera gratia & misericordia, in Christo super nos effusa, expansa & amplificata. Quare gloriari ob merita & opera non possumus, cum absq; gratia & misericordia aspiciuntur, sed vt scriptum est 1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino gloriatur, quòd scilicet habeat Deum propitium. Sic enim omnia bene se habent. Dicimus præterea, vbi non sequuntur bona opera, ibi fidem esse falsam, & non veram.

XIV. De votis Monasticis.

QUIA vota monastica è diametro pugnant cum primo principali articulo, ideo planè abrogata sunt. Ea enim sunt, de quibus Christus inquit Matth. 24. Ego sum Christus, &c. Qui enim votum facit in monasterio viuendi, is credit, se vitæ ratione sanctiorem initurum esse, quàm alij Christiani ducunt, & suis operibus non tantum sibi, sed etiam alijs etiam mereri vult. Hoc verò quid aliud est, quàm Christum negare? Et Pontificij ex suo Thoma dicere non erubescunt, votum monasticum esse æquale & paritipsum. Hæc blasphemia est in Deum.

XV.L

XV. De humanis traditionibus.

QUOD Pontificij dicunt, humanas traditiones facere ad remissionem peccatorum, & mereri salutem, planè impium & damnatum est, sicut Christus inquit; Frustra colunt me docentes doctrinas & mandata hominum. Et Tit. 1. auersantium veritatem. Item, quòd dicunt, esse peccatum mortale, si quis non seruet ista statuta, etiam impium est.

HI SUNT articuli, in quibus constantem me esse oportet, & constans ero vsq; ad mortem meam, Deo dante. Et nec mutare, nec concedere, quidquam in illis possum. Si quis alius voluerit aliquid concedere, faciat id periculo suæ conscientie.

POSTREMÒ restant præstigiæ Papales de stultis & puerilibus articulis, vt de templorum dedicationibus, campanarum baptismationibus, altarium dedicationibus & baptismationibus, adhibitis patrinis seu susceptoribus, qui munera largiebantur, &c. Hæc baptismatio fit in contumeliam, ignominiam & dedecus sacrosancti baptismi, & idèò minimè toleranda est. Deinde de consecrationibus cereorum, palmarum, placentarum, auenarum, herbarum & aromatum, &c. quæ omnia non possunt dici consecrationes, sed ludibria & mera imposturæ sunt. Et sunt talium præstigiarum infinitæ alie, quas committimus Deo ipsorum & ipsis adorandas, donec illis defatigentur. Nobis nihil cum istis negocij esse debet.

Martinus Luther D. subscripsit.

Iustus Ionas D. Rector, subscripsit manu propria.

Iohannes Bugenhagen Pomer. D. subscripsit.

Caspar Creutziger D. subscripsit.

Niclas Ambrosioff subscripsit Magdeburgensis.

Georgius Spalatinius subscripsit Aldenburgerensis.

Ego Philippus Melanchthon supra postros articulos approbo, et pios & Christianos. De Pontifice autem statuo, si Euangelium admitteret, passus ei, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui iam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, superioritatem in Episcopos, quam alioqui habet in humano, etiam à nobis permitti.

Iohannes Agricola Eisleben subscripsit.

Gabriel Dydimus subscripsit.

Ego Urbanus Regius D. Ecclesiarum in Ducatu Lantburgensi Superintendens, subscribo meo & fratrum meorum nomine, & Ecclesia Hammoburgensi.

Ego Stephanus Agricola Ecclesiastes Curvensis subscripsit. Et ego Iohannes Draconites subscribo, Professor & Ecclesiastes Marburgensis.

Ego Chunradus Figenboitz pro gloria Dei subscribo, et ita credidisse, & adhuc predicare & credo firmiter, & supra.

Andreas Osiander Ecclesiastes Nurembergensis subscripsit.

M. Vitus Dieterich Ecclesiastes Noribergensis subscripsit.

Erhardus Schnepffius concionator Singardensis subscripsit.

Conradus Ottingerus Phorcensis Vl. ubi Lucas concionator.

Simon Schneuer Parochus Ecclesia in Crailsheim.

Iohannes Schlainhaffen Pastor Ecclesia Cotenfis subscripsit.

M. Georgius Helius Forthemiensis.

M. Adamus à Fulda.

M. Anthonius Corvinus concionator Hesiatis.

Rursum ego Iohannes Bugenb. igitur Pomoranus Doctor subscribo nomine Magistris Iohannis Brentij, quem ad modum à Smalcaldi recedens mihi mandavit ore & literis, quas huic fratribus, qui subscripserunt, ostendat.

Ego Dionysius Melander subscribo, Confessione, Apologia, & Concordia in re Eucharistica.

Paulus Rhodius Superintendens Stetinensis.

Gerardus Oeniken Superintendens Ecclesia Mindensis.

Ego Brixius Northanus Ecclesia Christi, quae est Susati, minister, subscribo articulis reverendi Patris Mart. Lutheri, & fateor me hactenus ita credidisse, & docuisse, & porro per Spiritum Christi ita crediturum & docturum.

Michaël Caelius concionator Mansfeldensis subscripsit.

M. Petrus Gelineus concionator Franckenfurdensis subscripsit.

Vendalinus Faber Parochus Seburga in Mansfeldia.

Ego Iohannes Aepinus subscribo.

Similiter & ego Iohannes Amsterdamus Bremensis.

Ego Fridericus Myconius Gothana Ecclesia apud Thuringos Pastor, meo & Iusti Menij Ihenacensis nomine subscribo.

Ego Iohannes Langus D. & Erphordiensis Ecclesia concionator, meo & aliorum meorum in Euangelio Cooperariorum nomine, nempe: Domini Licentiatu Ludovici Platzi Melosingi.

Domini Magistri Sigismundi Kirchneri.

Domini Volffgangi Kismetter.

Domini Melchioris Westman.

Domini Iohannis Tall.

Domini Iohannis Ksliani.

Domini Nicolai Fabri.

Domini Andrea Menseri, mea manu subscribo.

Et ego Egidius Mecklerus mea manu subscripsi.



DE POTESTATE
ET PRIMATV PAPAE
TRACTATVS, PER THEOLO-
gos Smalcaldiae congregatos
conscriptus.

ANNO M. D. XXXVII.

Romanus Pontifex arrogat sibi,
quod iure diuino sit supra omnes Ep-
iscopos & Pastores.

Deinde addit etiam, quod iure diu-
ino habeat vtrunque gladium, hoc est,
autoritatem etiam regna conferendi & transferendi.

Et tertio dicit, quod haec credere sit de necessitate
salutis. Et propter has causas, Romanus Episcopus vo-
cat se Vicarium Christi in terris.

Hos tres articulos sentimus falsos, impios, Tyran-
nicos, & perniciosos Ecclesiae esse.

Ut autem intelligi nostra confirmatio possit: pri-
mum definiemus, quid vocent, supra omnes esse iure
diuino. Intelligunt enim esse Episcopum vniuersalem,
&, vt ipsi loquuntur, *οικουμενικόν*, id est, a quo debe-
ant petere ordinationem & confirmationem omnes
Episcopi & Pastores per totum orbem terrarum: qui
habeat ius eligendi, ordinandi, confirmandi, deponen-
di omnes Episcopos. Ad haec arrogat sibi authorita-
tem condendi leges de cultibus, de mutatione Sacra-
mentorum, de doctrina: & vult suos Articulos, sua de-
creta, suas leges existimari pares legibus diuinis, Hoc
est, sentit, sic obligari conscientias hominum legibus
Pontificijs, vt peccent mortaliter, qui eas negligunt
etiam sine scandalo. Et atrocius est, quod addit, quod
sit de necessitate salutis, haec omnia credere.

PRIMUM igitur ostendamus ex Euangelio, quod Romanus Episcopus non sit iure diuino supra alios Episcopos & Pastores.

Lucæ 22. Christus expressè prohibet dominationem inter Apostolos. Nam hæc ipsa erat quæstio, cum Christus dixisset de sua passione, disputabant quis esset præfutura, & tanquam absentis Christi Vicarius futurus: ibi Christus hunc Apostolorum errorem reprehendit, & docet, non futuram inter illos dominationem seu superioritatem, sed Apostolos tanquam pares ad commune ministerium Euangelij mittendos esse. Ideò ait: Reges gentium dominantur eis, vos autem non sic, sed quicumq; voluerit esse maior inter vos, erit minister vester. Hic ostendit Antithesis, quòd dominatio improbetur. Idem docet similitudo, cum Christus in eadem disputatione de regno, collocat in medio puerum, significans non futurum principatum inter ministros, sicut nec puer principatum aliquem sibi sumit aut appetit.

Iohannis 20. Christus pariter mittit Apostolos sine discrimine, cum ait: Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Eodem modo ait se mittere singulos, sicut ipse missus est: quare nulli tribuit prærogatiuam, aut dominationem præ reliquis.

Galat. 2. Paulus manifestè affirmat, se neq; ordinatum neq; confirmatum esse à Petro, nec agnoscit Petrum talem, à quo petenda sit confirmatio. Et nominatim pugnat hac de re, suam vocationem non pendere ab autoritate Petri. Debit autem agnoscere Petrum tanquam superiorem, si Petrus erat iure diuino superior. Ideo inquit Paulus, se non consulto Petro statim docuisse Euangelium. Item, Mea nihil refert, quales illi fuerint, qui aliquid esse videntur: personam enim hominis DEVS non accipit. Item, Qui videbatur esse aliquid, nulla mihi mandata dederunt. Cum

igitur Paulus clarè testetur, se ne voluisse quidem requirere Confirmationem Petri, etiam cum ad eum venisset: docet auctoritatem Ministerij à verbo Dei pendere, & Petrum non fuisse superiorem cæteris Apostolis, nec vnius Petri ordinationem aut confirmationem requirendam esse.

1. Corinth. 3. Paulus exæquat ministros, & docet Ecclesiam esse supra ministros. Quare Petro non tribuitur superioritas aut dominatio supra Ecclesiam, aut reliquos ministros. Sic enim ait: Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephæ, id est, Nec cæteri ministri, nec Petrus sibi sumat dominationem, aut superioritatem supra Ecclesiam, non onerent Ecclesiam traditionibus, non valeat vllius auctoritas plus quam verbum, non opponatur auctoritas Cephæ contra auctoritatem aliorum Apostolorum, sicut argumentabantur tempore; Cephæ hoc obseruat, qui est superior Apostolus, Ergo & Paulus & cæteri debent hoc obseruare. Hunc prætextum Paulus detrahit Petro, & negat eius auctoritatem anteferendam esse cæteris, aut Ecclesie,

EX HISTORIIS.

Nicæna Synodus ordinavit, vt Alexandrinus Episcopus curaret Ecclesias in Oriente, & Romanus Episcopus curaret suburbanas, hoc est, eas, quæ in prouincijs Romanis in Occidente erant. Hinc primùm humano iure, hoc est, ordinatione Synodi creuit auctoritas Romani Episcopi: iam si Romanus Episcopus habuisset iure diuino superioritatem: non licuisset Synodo detrahere ei aliquid iuris, & in Alexandrinum transferre, imò omnes Orientis Episcopi perpetuò debuissent petere ordinationem & confirmationem à Romano.

Item, Synodus Nicæna constituit, vt Episcopi eligerentur a suis Ecclesijs, præsentem aliquo vicino Episcopo, aut pluribus. Idem seruatum est etiam in Occidente

& in

& in Latinis Ecclesiis, sicut testatur Cyprianus & Augustinus. Sic enim ait Cyprianus in Epistola 4 ad Corneliū. Propter quod diligenter de diuina traditione & Apostolica obseruatione seruandum est & tenendum, quod apud nos quoq; & ferè in omnibus prouinciis tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quiq; conueniant, & Episcopus deligatur, plebe præsentē, quæ singulorum vitam plenissimè nouit: quod & apud nos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, vt de vniuersæ fraternitatis iussu, & de Episcoporum, qui in præsentia conuenerant, iudicio Episcopatus ei deferretur, & manus ei imponeretur. Hunc morem Cyprianus vocat diuinam traditionem, & Apostolicam obseruationem, & affirmat ferè in omnibus prouinciis obseruari. Cùm igitur nec ordinatio, nec confirmatio à Romano Episcopo peteretur in maxima orbis parte, in Græcis & Latinis Ecclesiis: satis apparet, Ecclesias tunc non tribuisse superioritatem & dominationem Romano Episcopo.

Superioritas illa est impossibilis: Nam impossibile est, vnum Episcopum esse inspectorem Ecclesiarum totius orbis terrarum, aut Ecclesias in vltimis terris sitas petere ab vno ordinationem. Constat enim, regnū Christi dispersum esse per totum orbem terrarum: hodieq; multæ sunt Ecclesiæ in Oriente, quæ non petunt à Romano Episcopo ordinationem aut confirmationem, Itaq; superioritas illa cùm sit impossibilis, & non agnouerint eam Ecclesiæ in maxima parte orbis: satis apparet, non institutam esse.

Multæ veteres Synodi sunt indictæ & habitæ, in quibus non præsedit Romanus Episcopus, vt Nicena & pleræq; aliæ. Id quoq; testatur, quòd Ecclesia tunc non agnouerit primatum seu superioritatem Romani Episcopi.

Hieronymus inquit: Si autoritas quæritur, orbis maior vrbe. Vbicunq; Episcopus fuerit, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Regij, siue Alexandria, eiusdem meriti est, & eiusdem sacerdotii, &c.

Gregorius scribens ad Alexandrinum Patriarcham, vetat se appellari vniuersalem Episcopum. Et in Regestis dicit, in Synodo Chalcedonensi oblatum esse primatum Romano Episcopo, nec tamen acceptum.

Postremo, quomodo potest Papa iure diuino esse supra totam Ecclesiam, cum Ecclesia habeat electionem, & paulatim mos inualuerit, vt Romani Episcopi ab Imperatoribus confirmarentur?

Item, cum diu fuissent certamina de primatu, inter Romanum & inter Constantinopolitanum Episcopum, tandem Phocas Imperator constituit, Romano Episcopo tribuendum esse primatum. Quod si Ecclesia vetus agnouisset Romani Pontificis primatum, hæc contentio non incidere potuisset, nec fuisset opus decreto Imperatoris.

Sed obiiciunt quædam dicta, videlicet: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Item: Tibi dabo claues, Item: Pasce oues meas, & alia quædam. Cum autem hæc tota controuersia, copiose & accuratè tractata sit alibi in libris nostris, nec recenseri omnia hoc loco possint: referimus nos ad ea scripta, eaq; præ repetitis habere volumus, breuiter tamen respondebimus de interpretatione.

In omnibus illis dictis, Petrus sustinet personam communè toti cœtus Apostolorum, sicut ex ipso textu apparet, Nam Christus interrogat non vnum Petrum, sed ait: Vos quem me esse dicitis? Et quod hic singulari numero dicitur: Tibi dabo claues, Quicquid ligaueris: alibi plurali numero dicitur: Quicquid ligaueritis, &c. Et in Iohanne: Quorum remisistis peccata, &c. Hæc verba testantur, pariter omnibus Apostolis trad

clau

claves, & pariter mitri omnes Apostolos. Ad hæc necesse est fateri, quod claves non ad personam vnus certi hominis, sed ad Ecclesiam pertineant, vt multa clarissima & firmissima argumenta testantur. Nam Christus de clauibus dicens Matth. 18. addit: Vbicunq; duo vel tres consenserint super terram, &c. Tribuit igitur principaliter, claves Ecclesiæ, & immediatè: sicut & ob eam causam Ecclesia principaliter habet ius vocationis. Itaq; necesse est in illis dictis, Petrum sustinere personam totius cœtus Apostolorum. Quare non tribuunt aliquam prærogatiuam seu superioritatem, seu dominationem Petro.

Quod verò dictum est: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: certè Ecclesia non est ædificata super autoritatem hominis, sed super ministerium illius professionis, quam Petrus fecerat, in qua prædicat Iesum esse Christum filium Dei. Ideo alloquitur eum tanquam ministrum: Super hanc petram, id est, super hoc ministerium. Porro ministerium noui Testamenti non est alligatum locis & personis, sicut ministerium Leuiticum: sed est dispersum per totum orbem terrarum, & ibi est, vbi Deus dat dona sua, Apostolos, Prophetas, Pastores, Doctores: nec valet illud ministeriū propter vnius personæ autoritatem, sed propter verbū à Christo traditum. Et hoc modo, non de persona Petri, interpretantur plurimi ex sanctis Patribus hanc sententiam (super hanc petram) vt Origenes, Cyprianus, Augustinus, Hilarius, & Beda.

Sic ait Chrysostronus: super hanc Petram, non super Petrum. Non enim super hominem, sed super fidē Petri, ædificauit Ecclesiam suam. Quæ autem erat fides? Tu es Christus filius Dei viui. Et Hilarius: Petro reuelauit pater, vt diceret: Tu es Filius Dei viui. Super hanc igitur confessionis petram, Ecclesiæ ædificatio est: hæc fides Ecclesiæ fundamentum est.

Et hoc quod dicitur: *Pasce oves meas.* Item, *Dilige me plus his?* Hinc nondum sequitur, peculiarem superioritatem Petro traditam esse. Iubet eum *pasce*, hoc est, docere verbum, seu Ecclesiam verbo regere, quod habet Petrus commune cum cæteris Apostolis.

Secundus articulus magis etiã perspicuus est, quod Christus dederit Apostolis tantum potestatem spiritua-lem, hoc est, in mandatũ docendi Evangelij, annuncian-di remissionem peccatorum, administrandi Sacramen-ta, excommunicandi impios sine vi corporali: nec de-dedit potestatem gladij, aut ius constituendi, occupan-di, aut conferendi regna mundi. Christus enim ait: *Ite, docentes seruare ea, quæ præcepi vobis.* Item: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos.* Constat autem, Christum non esse missum, vt gladium gereret, aut re-neret regnum mundanum, sicut ipse inquit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Et Paulus ait: *Non do-minamur fidei vestræ.* Item: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, &c.*

Quod igitur Christus in passione spinis coronatur, & producitur deridendus in regia purpura: significa-tum est fore, vt spreto regno spirituali, hoc est, oppres-so Evangelio, constituatur aliud mundanum regnum, prætextu potestatis Ecclesiasticæ. Quare Bonifacij Octauj constitutio, & cap. *Omnes distinct.* 22. & si-miles sententiæ, sunt falsæ & impiæ, quæ contendunt, iure diuino Papam esse Dominum regnorum mundi. Ex qua persuasione, tenebræ in Ecclesiam horribiles inuectæ sunt: deinde etiam magni in Europa motus orti. Neglectum est enim ministerium Evangelij: ex-tincta est notitia fidei, & regni spiritualis: Christiani iustitia putabatur esse illa externa Politia, quam Papi constituisset. Deinde Papæ rapere ad se Imperia cepe-runt, transtulerunt regna, vexarunt iniustis excommu-nicationibus & bellis ferè omnium nationum Reges in

Euro-

Europa, sed maximè Imperatores Germanicos, aliàs vt occuparent Italicas ciuitates, aliàs vt Episcopos Germaniæ redigerent in suam seruitutem, & eriperent Imperatoribus collationem. Imò etiam in Clementina scriptum est: Vacante imperio, Papam esse legitimum successorem. Ita Papa non solum dominationem contra mandatum Christi inuasit, sed etiam Tyrannicè prætulit se omnibus Regibus. Nec tantum in hac re factum ipsum reprehendendum est, quantum illud detestandum, quòd prætexit autoritatè Christi, quòd clauis ad regnum mundanum transfert, quòd salutem alligat ad has impias & nefarias opiniones, cum ait, de necessitate salutis esse, vt credant homines, iure diuino hanc dominationem competere. Hi tanti errores cum obscurent fidem & regnum Christi, nullo modo dissimulandi sunt. Euentus enim ostendit, eos fuisse magnas pestes Ecclesiæ.

TER T I O loco hoc addendum est. Etiam si Romanus Episcopus diuino iure primatù & superioritatem haberet: tamen non debetur obedientia his Pontificibus, qui defendunt impios cultus, idolatriam, & doctrinam pugnantem cum Euangelio: Imò tales Pontifices, & tale regnum, haberi debent tanquam anathema, sicut Paulus clarè docet: Si Angelus de cælo aliud Euangelium doceret, præter id, quod vos docui, anathema sit. At in Actis: Oportet DEO magis obedire quam hominibus. Idem & Canones clarè docent, hæretico Papæ non esse obediendum. Leuiticus Pontifex iure diuino erat sumus sacerdos: & tamen impijs Pontificibus non erat obediendum, vt Ieremias & alij Prophetæ dissentiebant à Pontificibus, Apostoli dissentiebant à Caipha, nec debebant ei obedire.

CONSTAT autem, Romanos Pontifices cum suis membris defendere impiam doctrinam & impios cultus. Ac planè notæ Antichristi competunt in regnum

regnum

regnum Papæ & sua membra. Paulus enim ad Thes-
 lonicenses describens Antichristum, vocat eum aduer-
 sarium Christi, extollentem se super omne, quod dicitur
 aut colitur Deus, sedentem in templo Dei, tanquam
 Deum. Loquitur igitur de aliquo regnante in Ecclesia
 non de Regibus Ethnicis: & hunc vocat aduersarium
 Christi, quia doctrinam pugnantem cum Euangelio
 excogitaturus sit, & is arrogabit sibi auctoritatem diu-
 nam. Primùm autem constat, Papam regnare in Eccle-
 sia, & prætextu Ecclesiasticæ auctoritatis & ministræ
 sibi hoc regnum constituisse. Præterit enim hæc verba
 Tibi dabo claues. Deinde doctrina Papæ multipliciter
 pugnat cum Euangelio, & arrogat sibi Papæ auctori-
 tem diuinam tripliciter: Primùm, quia sumit sibi ius
 mutandi doctrinam Christi, & cultus à Deo institutos,
 & suam doctrinam & suos cultus vult obseruari tanquam
 diuina. Secundò, quia sumit sibi potestatem, non so-
 lum ligandi, & soluendi in hac vita, sed etiam sumit si-
 bi ius de animabus post hanc vitam. Tertio, quia Papam
 non vult ab Ecclesia aut ab vllò iudicari, & ante se suam
 auctoritatem iudicio Conciliorum, & totius Eccle-
 siæ. Hoc autem est se DEVM facere, nolle ab Ecclesia
 aut ab vllò iudicari. Postremò, hos tam horribiles erro-
 res & hanc impietatem defendit summa sæuitia, &
 interficit dissentientes.

Hæc cum ita sint, cauere omnes Christiani debent
 ne fiant participes impiæ doctrinæ, blasphemiarum, &
 iniustæ crudelitatis Papæ. Ideo Papam cum suis mem-
 bris, tanquam regnum Antichristi, deserere & execra-
 ri debent, sicut Christus iussit: Cauete à Pseudoprophetis.
 Et Paulus iubet, impios Doctores vitandos & ex-
 terandos esse, tanquam anathemata. Et 2. Cor. 6. au-
 te sitis consortes infidelium, quæ est enim societas
 lucis & tenebrarum?

DISSIDERE à consensu tot gentium, & dici scilicet

maticos graue est. Sed autoritas diuina mandat omni-
 bus, ne sint socij & propugnatores impietatis & iniu-
 stitiae. Ideo satis excusatae sunt conscientiae no-
 strae: sunt enim manifesti errores regni Papae. Et scri-
 ptura tota voce clamat, errores illos esse doctrinam
 demoniorum & Antichristi. Manifesta est idolatria in
 prophanatione Missarum: quae cum alia vitia habent,
 tum ad turpissimum quæstum impudenter collatae
 sunt. Doctrina de Pœnitentia prorsus deprauata est à
 Papa, & à suis membris. Docent enim remitti peccata
 propter dignitatem nostrorū operum. Deinde iubent
 dubitare, an contingat remissio. Nusquam docent, quòd
 gratis propter Christum remittantur peccata, & quòd
 hac fide consequamur remissionem peccatorum. Ita
 gloriam Christi obscurant, & conscientijs firmam con-
 solationem eripiunt, & abolent veros cultus, videlicet
 exercitia fidei luçantis cum desperatione. Obscura-
 uerunt doctrinam de peccato, & finxerunt traditionē
 de enumeratione delictorum, parientem multos erro-
 res & desperationem, affinxerunt satisfactiones, quibus
 etiam obscurauerunt beneficium Christi. Ex his natae
 sunt indulgentiae, quae sunt mera mendacia, quæstus
 causa excogitata. Deinde inuocatio sanctorum quan-
 tos abusus, & quam horrendam idolatriam peperit?
 Quanta flagitia orta sunt ex traditione de Coelibatu?
 Quantas tenebras offudit Euangelio doctrina de Vo-
 tis? Ibi finxerunt, vota esse iustitiam coram Deo, & me-
 reri remissionem peccatorum. Ita transfulerunt bene-
 ficium Christi in humanas traditiones, & penitus ex-
 tinxerunt doctrinam de fide. Finxerunt, nugacissimas
 traditiones esse cultus Dei, & perfectionem, & prætulerunt
 eas operibus vocationum, quas Deus requirit
 & ordinauit. Neq; hi errores sunt existimandi leues:
 ledunt enim gloriam Christi, & afferunt perniciem a-
 nimabus, nec possunt dissimulari.

DEINDE ad hos errores accedunt duo ingenti peccata: Primum, quòd defendit errores illos inuita læuitia & supplicijs: Alterum, quòd iudicium eripit Ecclesiæ, nec sinit ritè iudicari Ecclesiasticas contro uersas: imò contendit, se supra Concilium esse, & decreta Conciliorù rescindere posse, sicut interdum impudenter loquuntur Canones. Sed multò impudentius hoc factum esse à Pontificibus, exempla testantur. 9. quæstione 3. ait Canon: Nemo iudicabit primam sedem. Neq; enim ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq; à Regibus, neq; à populo iudex iudicatur. Duplicem Tyrannidem exercet Papa, defendit errores suos vi & homicidijs, & vetat cognitionem. Hoc posterius etiã plus nocet, quàm vlla supplicia. Quia sublato verò iudicio Ecclesiæ, non possunt tolli impia dogmata, & impij cultus, & multis seculis infinitas animas perdunt.

CONSIDERENT igitur pij tantos errores regni Papæ, & Tyrannidem, & cogitent primùm abiiciendos esse errores, & amplectendam esse veram doctrinam propter gloriam Dei, & ad salutem animarum.

Deinde cogitent etiã, quantum scelus sit, adituus re iniustam crudelitatem, in interficiendis sanctis, quorum sanguinem Deus haud dubiè vlciscetur.

In primis autem oportet præcipua mēbra Ecclesiæ Reges & Principes, consulere Ecclesiæ, & curare, vt errores tollantur, & conscientiæ sanentur, sicut Deus nominatim Reges hortatur: Et nunc Reges intelligite erudimini, qui iudicatis terram. Prima enim cura Regi esse debet, vt ornent gloriam Dei. Quare indignissimū fuerit, eos conferre auctoritatem & potentiam suam, a confirmandam idolatriam, & cætera infinita flagitia, ad faciendas cædes sanctorum.

Et vt Papa Synodos habeat: quomodo sanari Ecclesia potest, si Papa nihil decerni contra arbitriū suum

patiatur, si nemini concedat dicere sententiã, nisi suis membris? quæ habet obligata horrendis iuramentis & maledictionibus, ad defensionem suæ Tyrãidis & impietatis, sine v'la exceptione verbi Dei. Cùm autẽ iudicia Synodorum sint Ecclesiæ iudicia, non Pontificũ: præcipuè Regibus conuenit coercere Pontificum licentiam, & efficere, ne Ecclesiæ eripatur facultas iudicandi & decernendi ex verbo Dei. Et vt reliquos errores Papæ taxare cæteri Christiani debent: ita etiã reprehendere debent Pontificem defugientẽ & impediẽtẽ veram cognitionem & verum iudicium Ecclesiæ.

Itaq; etiam si Romanus Episcopus iure diuino haberet primatum: tamen posteaquam defendit impios cultus & doctrinam pugnantem cùm Euangelio, non debetur ei obedientia, imò necesse est ei tanquã Antichristo aduersari. Errores papæ manifesti sunt, & nõ leues. Manifesta est etiam crudelitas, quam exercet. Et constat mandatum Dei esse, vt fugiamus idolatriã, impiam doctrinam, & iniustam sæuitiã. Ideo magnas, necessarias, & manifestas causas habent omnes pu, ne obtemperent Papæ. Et hæ necessariæ causæ pios consolantur, aduersus omnia conũtia; quæ de scandalis, de schismate, de discordia obũti solent.

Qui verò sentiunt cum Papa, & defendunt eius doctrinam & cultus, polluunt se idolatria & blasphemis opinionibus, sũnt rei sanguinis piorum, quos Papa persequitur, lædunt gloriam Dei, & impediunt salutem Ecclesiæ: quia confirmant errores & flagitia ad omnem posteritatem.

DE POTESTATE ET IURISDICTIONE

EPISCOPORVM.

EVANGELIUM tribuit his, qui præsunt Ecclesiis, mandatum docendi Euangelium, remittendi peccata,

cata,

cata, administrandi Sacramenta: præterea iuris dictio-
nem, videlicet, mandatum excommunicandi eos, quo-
rum nota sunt crimina & resipiscentes rursum ablo-
uendi. Ac omnium confessione etiam aduersariorum
liquet, hanc potestatem iure diuino communem esse
omnibus, qui præstant Ecclesiis, siue vocentur Pastores
siue Presbyteri, siue Episcopi. Ideoq; Hieronymus a-
pertè docet, in literis Apostolicis, omnes, qui præstant
Ecclesiis, & Episcopos & Presbyteros esse, & citat e-
Tito: Propterea te reliqui in Creta, vt constituas Pres-
byteros per ciuitates. Et deinde addit: Oportet Epi-
scopum esse vnus vxoris virum. Item, Petrus & Iohan-
nes vocant se Presbyteros. Et deinde addit: Quod au-
tem postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur,
in remedium schismatis factum est, ne vnusquisq; ad se
trahens Ecclesiam Christi rumperet. Nam & Alexan-
dria à Marco Euangelista vsq; ad Esdram & Dionysium
Episcopos, Presbyteri semper ex se vnum eligebant, &
in excelso loco collocabant, quem Episcopum no-
minabant: quomodo si exercitus Imperatorem sit-
faciat. Diaconi autem eligant ex se, quem inducunt
nouerint, & Archidiaconum nuncupent. Quid enim
facit Episcopus excepta ordinatione, quod Presbyte-
non facit? Docet igitur Hieronymus, humana autori-
tate distinctos gradus esse Episcopi, & Presbyteri se
Pastoris. Idq; res ipsa loquitur, quia Potestas est ea-
dem, quam supra dixit.

SED vna res postea fecit discrimen Episcoporum
& Pastorum, videlicet, Ordinatio: quia institutum est
vt vnus Episcopus ordinaret ministros in pluribus Ec-
clesiis, Sed cum iure diuino non sint diuersi gradus
Episcopi, & Pastoris: manifestum est, ordinationem
Pastore in sua Ecclesia factam iure diuino ratam esse.
Itaq; cum Episcopi ordinarij sunt hostes Ecclesie, &
nolunt impertire ordinationem: Ecclesie retinentur

suum. Nam vbiunque est Ecclesia, ibi est ius administrandi Euangelij. Quare necesse est, Ecclesiam retinere ius vocandi, eligendi, & ordinandi ministros. Et hoc ius est donum propriè datum Ecclesie, quod nulla humana autoritas Ecclesie eripere potest, sicut & Paulus testatur ad Ephesios, cum ait: Ascendit, dedit dona hominibus. Et numerat inter dona propria Ecclesie, Pastores & Doctores. Et addit, dari tales ad ministerium, ad ædificationem corporis Christi. Vbi est igitur vera Ecclesia, ibi necesse est esse ius eligendi & ordinandi ministros: sicut in casu necessitatis absoluit etiam Laicus, & fit minister ac Pastor alterius: sicut narrat Augustinus historiam de duobus Christianis in nauis, quorum alter baptizauerit *κατηχόμενον*, & is baptizatus deinde absoluerit alterum. Huc pertinent sententia Christi, quæ testantur, claves Ecclesie datas esse, non tantum certis personis: Vbiunq; erunt duo vel tres congregati in nomine meo, &c.

Postremò etiam hoc confirmat sententia Petri: Vos estis regale sacerdotium. Quæ verba ad veram Ecclesiam pertinent, quæ cum sola habeat sacerdotium, certè habet ius eligendi & ordinandi ministros, Idq; etiam communissima Ecclesie consuetudo testatur. Nam olim populus eligebat Pastores & Episcopos. Deinde accedebat Episcopus, seu eius Ecclesie, seu vicinus, qui confirmabat electum impositione manuum, nec aliud fuit ordinatio, nisi talis comprobatio. Postea accesserunt nouæ ceremonie, quales multas describit Dionysius, Sed est autor nouus & fictitius, quisquis est, sicut & Clementis scripta sunt supposititia, Deinde recentiores addiderunt: Do tibi potestatem sacrificandi pro viuis & mortuis. Sed ne illud quidem apud Dionysium est.

Ex his omnibus liquet, Ecclesiam retinere ius eligendi & ordinandi ministros, Et causam schismati & discordie præbent, impietas & tyrannis Episcoporum:

quia Paulus præcipit, vt Episcopi docentes & defendentes impiam doctrinam & impios cultus, habeantur tanquam anathemata.

Diximus de Ordinatione, quæ vna, vt Hieronymus ait, discernebat Episcopos à reliquis Presbyteris. Itaque nulla disputatione opus est, de cæteris Episcoporum officijs. Nec verò opus est dicere de Confirmatione. Item de Campanarum consecratione, quæ propemodum sola retinuerunt. De Iurisdictione aliquid dicendum est.

Constat, Iurisdictionem illa communem excommunicandi reos manifestorum criminum, pertinere ad omnes Pastores. Hanc tyrannicè ad se solos transfulerunt, & ad quæstum conuulerunt. Constat enim, officiales, vt vocantur, non toleranda licentia vfos esse, & vel avaritia, vel propter alias cupiditates, vexasse homines, & excommunicasse, sine vilo ordine iudiciorum. Quæ est autem tyrannis, officiales in ciuitatibus habere potestatem, (suo arbitrata, sine ordine iudiciorum, damnandi & excommunicandi homines) Et hæc potestate quilibet in rebus abusi sunt? videlicet non in puniendis veris delictis, sed in ieiunijs aut ferijs violatis, aut similibus nugis. Tantum adulteria interdum puniebant: & in hac re sæpè vexabant innocentes & honestos homines. Porrò cum hoc crimen sit grauissimum, certè, sine ordine iudiciali nemo damnandus est. Cum igitur hanc Iurisdictionem Episcopi tyrannicè ad se solos transfulerint, eaquæ turpiter abusi sint: nihil opus est propter hanc Iurisdictionem obedire Episcopis. Sed cum sint iustæ causæ, cur non obtemperemus? rectum est, & hanc Iurisdictionem reddere pijs Pastoribus, & curare, vt legitime exerceatur, ad morum emendationem, & gloriam Dei.

Reliqua est Iurdictio in ijs causis, quæ iure Canonico ad eorum, vt vocant, Ecclesiasticum pertinent, ac præcipuè in causis matrimonialibus. Hæc quoque

habent

habent Episcopi humano iure, & quidem non admodum veteri, sicut ex Codice & nouellis Iustiniani apparet, iudicia matrimoniorum tunc fuisse apud Magistratus. Et iure diuino coguntur Magistratus Mundani hæc iudicia exercere, si Episcopi sint negligentes. Idem concedunt & Cænes. Quare etiam propter hanc iurisdictionem non necesse est obedire Episcopis. Et quidem cum leges quasdam conderint iniustas de coniugijs, & in suis iudicijs obseruent: etiam propter hanc causam opus est alia iudicia constitui. Quia traditiones de cognatione spiritali sunt iniustæ. Iniusta etiam traditio est, quæ prohibet coniugium personæ innocenti, post factum diuortium. Etiam iniusta lex est, quæ in genere omnes claustrales & doctos desponsationes contra ius parentum approbat. Est & iniusta Lex de celibatu sacerdotum. Sunt & alij laquei conscientiarum in eorum Legibus, quos omnes recitare nihil attinet. Illud satis est recitasse, quod multæ sunt iniustæ leges Papæ, de negotijs matrimonialibus, propter quas magistratus debent alia iudicia constituere.

Cum igitur Episcopi, qui sunt addicti Papæ, defendant impiam doctrinam & impios cultus, nec ordinent pios Doctores: imò adiuuent sceleratam Papæ: præterea iurisdictionem eripuerint Pastoribus, & hanc tantum tyrannicè exerceant: postremò cum in causis matrimonialibus multas iniustas leges obseruent: satis multæ & necessariæ causæ sunt, quare Ecclesiæ non agnoscant eos tanquam Episcopos. Ipsi autem meminerint, opes datas esse Episcopis, tanquam eleemosynas, propter administrationem & utilitatem Ecclesiarum, sicut inquit Regula: Beneficium datur propter officium. Quare non possunt bona conscientia possidere illas eleemosynas: & Ecclesiam interim defraudant, cui opus est illis facultatibus ad ministros alendos, & iuuanda studia, & suppeditandam certis pauperibus, & constituenda iudicia,

præsertim matrimonialia. Tanta enim varietas & magnitudo est controuersiarum matrimonialium, utinam opus sit peculiari foro, ad quod constituendum opus est Ecclesiæ facultatibus. Petrus prædixit futuros impios Episcopos, qui eleemosynis Ecclesiarum abuterentur ad luxum, neglecto ministerio. Sciant ergo illi, qui Ecclesiam defraudant, etiam eius sceleris penas Deo se daturos esse.

DOCTORES ET CONCIATIONATORES, QUI CONFSSIONI Augustanæ & Apologiæ subscripserunt.

ANNO M. D. XXXVII.

DE mandato illustrissimorum Principum & ordinum, ac ciuitatum Euangelij doctrinam profitentium, relegimus articulos Confessionis exhibitæ Imperatori in Conuentu Augustano, & De beneficio omnes Concionatores, qui in hoc Smalcaldensi conuentu interfuerunt, consentientes profitentur, se iuxta articulos Confessionis & Apologiæ sentire, & docere in suis Ecclesijs. Profitentur etiam, se articulum de primatu Papæ, & eius potestate, & de potestate & iurisdictione Episcoporum, qui hic Principibus in hoc conuentu exhibitus est Smalcaldicæ, approbare. Ideò nomina sua subscribunt.

Ego Iohannes Bugenhagenus Pomeranus D. subscribo articulum Confessionis Augustanæ, Apologiæ, & articulum de Papatu Smalcaldicæ principibus oblato.

Et ego Urbanus Regius D. Ecclesiarum in Ducatu Lubenburghensi Superintendens, subscribo.

Nicolaus Ambsdorff Magdeburgensis subscripsit.

Georgius Spalatinus Aldenburghensis subscripsit.

Andreas Osiander subscribo.

M. Vitus Dieterich Noribergensis subscripsit.
 Stephanus Agricola Ecclesiastes Curienſis manu propria
 ſubſcripſit.

Iohannes Draconites Marburgenſis ſubſcripſit.

Chunradus Figenbotz ſubſcripſit per omnia.

Martinus Bucerus.

Erhardus Schnepffius ſubſcribo.

Paulus Rhodius concionator in Stetin.

Gerardus Oetiker Eccleſia Mindenſis Miniſter.

Simon Schneueus Parochus Crailsheim.

Brixius Northanus Suſatienſis Concionator.

Rurſum ego Pameranus ſubſcribo nomine Magiſtri Io-
 hannis Brentij, quem admodum mihi mandauit.

Philippus Melanthon ſubſcripſit manu propria.

Antonius Coruinus ſubſcribit, tam ſuo, quàm Adami à
 Fulda nomine, manu propria.

Iohannes Schlainhauffen ſubſcribit manu propria.

M. Georgius Heltus Porchemius.

Michaël Cælius Concionator Mansfeldenſis.

Petrus Geltnerus Concionator Eccleſia Franckenſur-

Dionyſius Melander ſubſcripſit. (denſis.

Paulus Fagius Argentinenſis.

Vendalinus Faber Parochus Seburga in Mansfeldia.

Conradus Otingerus Phorcenſis, Vdalrici Ducis VVirt.
 Concionator.

Bonifacius VVolfart, Verbi miniſter Eccleſia Auguſtana.

Iohannes AEpinus Hamburgenſis Superintendens ſub-
 ſcripſit propria manu.

Idiſſum facit Iohannes Amſterdamus Bremeniſis.

Iohannes Fontanus inferioris Haſſia Superintendens
 ſubſcripſit.

Fridericus Myconius, pro ſe & iuſto Menio ſubſcripſit.

Ambroſius Blaurerus.

Legi, & iterum atque iterum relegi Confeſſionem &
 Apologiam ab Illuſtriſſimo Principe Electore Saxonia,

Et alijs Principibus ac Statibus Romanis Imperij Caesarea Majestati Augusta oblatam. Legi stem Formam Concordia in re Sacramentaria Viteberga cum D. Bucero, & alijs institutam. Legi etiam articulos D. Martino Luthero, Praeceptore nostro observandissimo, in Smalcaldensi conventu Germanica lingua conscriptos, & libellum de Papatu, & de potestate ac jurisdictione Episcoporum. Ac pro mediocritate meae aetatis, haec omnia convenire cum sacra scriptura, & cum sententia vera & ynnocens Catholica Ecclesia. Quamquam autem in tanto numero doctissimorum Virorum, qui nunc Smalcaldia convenerunt, minimum omnium me agnoscam, tamen quia mihi non licet exitum huius contentus expectare, obsecro te clarissime Vir, D. Iohannes Bugenhageni, Pater in Christo observande, et humanitatis tuae, nomen meum, si opus fuerit, omnibus illis, qui supra commemoravi, adscribat. Me enim ita sentire, confiteri, & perpetuo docturum esse per Iesum Christum Dominum nostrum, hac meo Chirographo testor. Actum Smalcaldia XXIII. Februarij, Anno M. D. XXVII.

Iohannes Brentius Ecclesiastes Hallesis.

